

Exposition von der  
Kunst der Malerei  
des 17ten Jahrhunderts  
in der Stadt  
Cologne

*[Handwritten scribble]*

DV 53

*[Handwritten scribble]*



ANTONIO  
DE BRASSEROLI


DEI

DEI  
DEI

Dei  
Lectur  
Mentium

Caro

UNIVERSITÄTSBIBLIOTHEK  
- Med.-Naturwiss. Abt. -  
DÜSSELDORF  
V 48



A. N T O N I I  
M V S A E B R A S S A V O L I  
M E D I C I F E R R A R I E N S I S,  
E X A M E N O M N I V M E L E C T V A R I O R V M,  
P V L V E R V M, E T C O N F E C T I O N V M,  
*catharticorum:*

*Ad ornatiss. atq; excellentissimum  
Ludovicum Panizam  
Mantuanum.*

Cum priuilegio ad decennium.



V E N E T I I S,  
E X O F F I C I N A E R A S M I A N A  
V I N C E N T I I V A L G R I S I I:  
M. D. X L V I I I.



ANTONI

MVSAE PRAESAVOII

Dv 53

MEDICI PRAESAVOII

EXAMEN OMNIVM ELECTORIVM

PALAVM ET CONFECTIVM

capitulum

Ad ornata et excellens

Industriae Praesavoi

Mannheim

Cum privilegio ad decennium



DE OFFICINA PRAESAVOII

VINCITIS VALENTIS

M. D. C. L. III.

AD EXCELLENTISS.

LVDOVICVM PANIZAM

ANT. MVSA BRASSAVOLVS.



**I**MMENS *A* uirtus  
tua, & literatura non uul  
garis, eruditioq; illa, qua  
nemini es nostra hac aeta  
te secundus, & animi tui morum inte  
gritas, ac prudentia, qua in summis  
rebus gerendis maximè polles; & ar  
cta illa, & indissolubili nodo contra  
cta amicitia, commouerunt nos excel  
lentissime Panza, & non mediocri  
ter excitarunt, ut nostros hos labores,  
quales quales sint, nomini tuo, immor  
talitate digno, dedicaremus: non ut  
illi ex his aliquid famigerabilitatis sit  
accessurum, sed potius ut amoris er  
ga te nostri, quem uti praeceptorem  
semper colimus, & uti patrem ue

A ij      nerati





ANTONII MUSAE

BRASSAVOLI MEDICI

FERRARIENSIS,

Examen omnium Medicamentorum eu-  
cquantium, quæ non sunt in forma pi-  
lularum: quorum usus est apud  
pharmacopolas.

SENEX. BRASSAVOLVS.

SENEX.



VIS NAM VVLGARIVM  
tumultus, ridentiumq; ac ueluti plau-  
dentium strepitus ille est, quem pi-  
scatorium forum uersus intueor?

BRAS. Sellularij sunt, ac pueri,  
qui contendunt, ut Ioannem Paulum Manfronum ui-  
deant: nam hodie illi sunt immutaturi carcerem. SE.  
Nondum est ille uir improbus capite multatus?

BRAS. Tu solus ergo egregium illud, & penè in-  
credibile Illustrissimi Ducis nostri facinus ignoras?

SE. Quodnam facinus? BRAS. Quodnam? Illu-  
strissimum Ducem Manfronum uita donasse.

SE. Venetijs erã, cum hac misericordia usus est Princeps,  
& cum hac summa pietate. O rarissimum Principem,  
atq; diuinum, qui tam temerarium uirum, tamq; faci-  
norosum à morte liberauit. Quis alius Princeps tali  
pietate usus esset? BRAS. Nullus, ut arbitror: præ-  
sertim cum liceret (si merita perpendamus) Illustrissi-  
mum Ducem tam impium uirum ubique locorum uita

A iij priuare.

*Mira bis ne.  
quæ hic et cla.  
in eam bis  
na*

priuare. neq; defuissent, qui id ultrò summa cum dili-  
 gentia efficere curassent, modò illustrissimus Dux uel  
 solo nutu sibi gratum esse indicasset. SE. Non'ne fuit  
 Venetijs ferrea pila ex pyrouolo emissa percussus?  
 BRAS. Fuit prorsus, ut fertur. SE. Arbitrabar  
 hoc Principis iussu effectum esse. BRAS. Immo ti-  
 bi iureiurando affirmo, idem ea de re præsciuisse Prin-  
 cipem, quod tu ipse sciebas; qui (ut arbitror) neq; un-  
 quam excogitaueras: at fuit Sigismundus Malatesta,  
 Soiani Dominus, ob antiquas quasdam inimicitias, &  
 mihi ignotos dolos, quos temerarius hic in ipsum ma-  
 chinatus erat: at Misericors DEVS, qui omnem ho-  
 minem saluum fieri cupit, ne anima hæc deperdita pe-  
 nitus periret, ferream pilam in talem corporis partē  
 direxit, ut rescipiscere quidem posset, sed non perire.  
 Nempè lento gradu DEI ira procedit, semperq; im-  
 probis ansam poenitendi præbet. SE. Si uera sunt,  
 quæ de Manfrono audiui, duci non possum, ut ullo pa-  
 cto saluum fieri posse excogitem. BRAS. Tamen  
 nullus est tam improbus, tamq; scelestus uir, qui rescipi-  
 piscens, à DEO pietatis fonte ueniam recipere non  
 possit. Et hoc Misericors ipse nobis ultrò sponndit:  
 nam & latroni tot scelerum generibus onusto, ueniã  
 ex corde petenti, ueniam concessit. SE. Audiuisi ne  
 facinorosa gesta, quæ uir hic scelestus perpetratus  
 est? BRAS. Et domi processum (ut iureconsulti uo-  
 cant), habeo, præsertim illorum facinorum, quæ ad  
 illustrissimum Ducem nostrum punienda spectarent.  
 SE. Rem pergratam mihi facies, si ordine quodam  
 hæc referas: quippè tunc aberam, cum hæc Ferræ-  
 riæ tractabantur: & per hominum ora passim uulga-  
 bantur.



bantur. B R A S. Hoc lubentissimè efficiam. Tu uero aures dicendis erigito. Vir hic facinorosus coniu-  
 ratione illa nefanda, qua in Illustrissimum Ducem no-  
 strum cõspirauerat, ut illum captiuum duceret, ac truci-  
 cidaret, non contentus, omnes etiam Ferrarienses, qui-  
 bus occurrebat, interficere conabatur: & in Illustris-  
 simum Ducem contumeliosis uerbis semper utebatur:  
 quem Illustrissimus Dux à Venetis petijt, ut secun-  
 dum eius demerita puniret. At Veneti Illustrissimo  
 Duci illum præbere renuerunt. Tamen post aliquot  
 menses Mansfronum omni urbe, oppido, & loco Vene-  
 tæ ditioni subiecto, priuauerunt. Ipse uerò malefacto-  
 rum conscius, multas regiones peragratus est; timens  
 ne dirè obruncaretur, ut merebatur: neq; illi igno-  
 tum erat, & Regum, & Ducum longas esse manus,  
 Britanniam appulit: deinde in Italiam redijt: & Flo-  
 rentiam profectus est inquietus ille animus, & suorum  
 malorum conscius: at Illustrissimus Dux explorato-  
 res habebat, qui illum sequerentur, ac obseruarent: &  
 qui sexcenties illum trucidare potuissent: sed illu-  
 strissimus Dux iusserat, ne uel capillus capitis illi ab-  
 scinderetur; quoniam cupiebat illum habere uiuentem  
 sub sua potestate captiuum. Denique in oppidum ue-  
 nit, Piuuriam nomine, in Parmensi agro, quod à nobili  
 Rodulpho Gonzaga Mansfroni sororio possidetur. Illu-  
 strissimus Dux strenuissimos milites illuc misit, qui  
 oppidum uallarent, ne aufugere posset. Interim uerò à  
 Placētia Duce ueniam impetrauit, ut illum sub ditio-  
 ne sua capere posset. Qui, ut annuit, ab eisdem mili-  
 tibus captus, & colligatus, Ferrariam ductus est. S E.

Quid dicebat miser hic uir, dum duceretur? B R A S.

A iij Rothlandi



Rothlandi uersus ex Ariosto, modò summissa uoce, modò altiori canebat; simulq; negabat, se in Ducem conspirasse: immo sperabat Illustrissimū Ducem magnam pecuniarum copiam sibi traditurum, ut ad imminens Germanicum bellum proficisceretur. S E. O quam impudentissimi uiri temeritatem. Illis similis est, qui debent, & petunt. Videor uidere in hoc uiro fatuitatem quandam, malignitati cōmistam. Quis enim ignoraret, se capite multandum, qui talia perpetratus esset, qualia Manfronus? Postea canebat? BRAS. Die 27. Mensis Iulij, 1546. captiuus Ferrariam ductus est. S E. Id iam noui: & nescio, an tanto uirorum, ac mulierum spectaculo Paulo III. Pont. Maximo uersus occurrisset populus, quanto Manfrono occurrit: omnesq; gestire uidebantur. BRAS. Sed fuisset magis tetrum spectaculum, nisi benignus Dux sua prouidentia, ac prouidentia occurrisset. S E. Quid egit optimus ille rerum prouisor? BRAS. Aderat puerorum frequentia cepis, cucurbitis, ac ouis putridis, pomisq; marcidis referta, quæ illum salutasset, ut saluari solent farinæ pistores supra publicum tympanum. S E. Vidi profecto sportas quasdam, pomis plenas, quæ à nonnullis gerebantur pueris; aderantq; immista saxa. BRAS. An nescis ita fieri consuetum. post cepas, poma, cucurbitas, & oua, ad lutum deueniunt; & deniq; ad saxa? S E. Illum igitur intermissent. BRAS. Et uiuum deglutiuisent, ac sepeliuisent. S E. Quid excogitatus est Illustrissimus Dux, ut deperditum hunc uirum à puerorum furore, & totius populi liberaret? BRAS. Multos misit ex strenuissimis militibus suis, qui illum circundarent, &

in ca=

in castrum usq; ducerent: nam pueri, ne hos prius impetrēt, quā Manfronum, institutum suum dimisere: quippè fieri non poterat, quin ex his militibus, qui circumstabant, multi lapidarentur. SE. Historiam prosequaris, et huius improbi uiri gesta. BRAS. Tibi (nisi molestum sit) Manfroni examē ad uerbum referam, quod mihi impertitus est eximius iureconsultus Dominus Lanfrancus à Gypso. SE. Quid mihi gratius esse poterit? BRAS. Cū in castrum uentus deductus fuit, illum Prætor examini statim subiecit, interrogauitq;: An 1545. in mense Martij, scite, dolose, & excogitate; ex certo animo, & scientia perpetrandi, & penitus committendi delictum consequens, quod erat aduersus propriam uitam, & propria loca Illustrissimi Herculis Ducis Ferrariæ 1111. Nempè, cū esset in uilla nuncupata Frata, in Rhodigino territorio, in proprio palatio, in quo habitabat, à cacodemone irritatus, ac percitus, & à peruersa sui natura commotus, concionem habuit, consiliumq; gessit in primis cum Philippo Turbido Bondeniensi, eius milite, qui alias Castronus cognominabatur, & cum Petro Francisco de Bertoletis Hostiensi, eius signifero, in hebdomada Palmarum in Ferrariensem agrum descendere, in locum nuncupatum Belreguardum: ad quem Illustrissimus Dux similibus diebus deuenire solet, ut quieto animo, atque pacato à quotidianis curis semotus, sacris intersit. Statuerat uerò hic scelestissimus uir, multis uallatus militibus, locum illum adoriri, ac grassari, Illustrissimumq; Ducem captiuum reddere, illiq; pro redemptione imponere, ut quingenta aureorum millia persolueret: & illum cogere, ut uel Carpū,  
uel



uel Heberiam sibi traderet. Hocq; scelus tali ordine disposuerat: In primis statuerat milites centum congregare, & unicumq; scutum unum pro illius modici temporis stipendio præbere. Nam dies illi palmarum imminebant, hisq; militibus Phœbum Perusinum Centurionem esse decreuerat, & præter hos milites quosdam numerabat, quos arbitrabatur se recepturum à Francisco Capite Vaccæ. Sperbatq; se recepturum à Carolo, Gazoli Domino, eius sororio, equites quinquaginta (de qua tamen re nihil sciebat Carolus) imposuitq; prædicto Philippo Turbido, ut treis naues instructas haberet, quibus uteretur cum Padum tranare opus esset. Statuerat deniq; si pecuniam supradictam consequi non posset, & alterum ex prædictis oppidis, Illustrissimum Ducem in Tresentæ conualles ducere, & illum trucidare. SE. O scelestissimum uirorum omnium. Erat ergo uirum tam benignum, tam iustum, tam deniq; sanctum trucidaturus? At DEVS optimus ferre non potuit, ut tam probus uir à deperdito furcifero trucidaretur. BRAS. Me prosequi sinito. SE. Non potui non excandescere, tam seuum facinus audiens. Nunc prosequaris. BRAS. Ut autem sceleris complices excitaret ad scelus, illis spondit (Illustrissimo Duce capto) dono præbere quicquid in illo palatio auri, argenti, & rerum, ac suppellectilium preciosarum continebatur. SE. Illi similis erat, qui priusquã ursum caperet, eius pellem uendiderat. Mihi uidetur esse ualde difficile Illustrissimum Principem cum tam paucis militibus capere posse, cum illum semper multò plures comitentur, qui strenuissimi sunt, & non gregarij; & cum facile sit rusticorum multitudinem



nem breui conuocare. BRAS. En & ipse uides rei difficultatem, quia strenuissimi uiri Illustrissimum Ducem semper comitantur, & nō triuiales: quorum unus plus potest, ac sapit, quā decem ex illis tumultuarijs, ac gregarijs. At prauo consilio peius adiecit: nam Ferrariam quendam misit, Scuam, uel Mancinum nuncupatum, qui pila plumbea ex pyrouolo emissa Illustrissimum Ducem confoderet, atq; necaret, cum uespero per urbem exercendi corpus gratia equitat. Iusserat uerò cum excellentissimus Dux è regione illius transiret, & iam terga daret, pila ex pyrouolo emitteret, & illū confoderet. SE. O nephandissimū omnium; qui tam integræ fidei uirū, & tam probum absq; ulla causa necari uoluerit. BRAS. Adde, et illū, qui paucis ante diebus ad baptismatis undā eius filiā eleuauerat, & eius compater euaserat: & qui tam blandè illū traclabat, ad prandiūq; & cœnā inuitabat, cum negotiorum, aut otij causa Ferrariam uenicbat, potius debuisset, & iure tenebatur Illustrissimum Ducem defendere, quā offendere. Sed pessimæ, ac ingratiissimæ naturæ illos potius semper insectantur, qui illis profunt, quā qui obsunt. SE. Non erat satis una mors huic improbo grassatori, sed centum indigebat mortibus. En quomodo Ferrarienses res successissent, cum adhuc adolescens sit Illustrissimi Ducis nostri primogenitus. BRAS. Benignus DEVS sua benignitate huius urbis incolumitati infontem Ducem, uirumq; probæ, ac raræ fidei nobis seruauit incolumem. SE. Prosequaris, obsecro, diu, ac nephanda huius temerarij facinora. BRAS. En 1541. Sinon hic periurus in mense Iulij hæc perpetratus est, Illustrissimus Dux charitatis

ritatis zelo commotus, & ut scandala, ac uirorum ne-  
ces euitarentur (nam scelestus hic suis bonis non con-  
tentus, bona etiam comitum de Rouerellis occupabat,  
& diripiebat) misit Ioannem Baptistam Bonleum ad  
Manfronum cum literis ex illustrissimo Duce, quæ  
illi indicebant omnia Bonleo esse credenda: Bonleus ue-  
rò illustrissimi Ducis nomine illi suadere cœpit, ex cor-  
deq; hortari, ut cum Rouerellis pacem ineat, potissi-  
mum cum sint consobrini; & illis eorū bona restituat.  
S E. Ob quam rem ita illū orauit Princeps? B R A S.  
Quoniam & ipse à nobilibus quibusdam Ferrariensi-  
bus efflagitatus erat, quibus Rouerelli sunt affines; be-  
nigna q; ac ad probè agendum Illustrissimi Ducis natu-  
ra, & in aliorum commoda propensa, fecit, ut ad Man-  
fronum literas mitteret. S E. Quid egit Bonleus?  
B R A S. Nihil penitus, nam ut audiuit uir scelestus,  
& tetrum, ac nepharium facinus excogitauit: his enim  
acceptis literis, quas ab Illustrissimo Duce recepe-  
rat, Venetias profectus est, & ad Decemuiratus Magi-  
stratum accessit, quibus has illustrissimi Ducis legen-  
das præbuit literas: in quibus nihil aliud scriptum  
erat, quàm quòd Bonleo omnia crederet. Tunc impius  
hic, & scelestus, & plusquam facinorosus uir, his Ma-  
gnificis uiris, qui Decemuiratum gerunt, retulit; Illu-  
strissimum Ducem illum oratum misisse, ut res omnes  
Rouerellorū, quas occupabat, ipsis redderet: & ad hoc  
agendum, illum magnificis hortabatur argumentis. Cō-  
mentabatur uerò, Illustrissimum Ducem Rouerellis uti  
uelle, quando opus erit, ad Rodiginum oppidum recu-  
perandum, & reliquam ditionem Estensem. S E. O  
sceleratissimum uirorum omnium. B R A S. Sed au-  
dias



dias quid fecerit hic, alter Diuum despector Mezen-  
 tius: Cùm de hac re à Magnificis Decemuiratus uiris  
 inquireretur (nihil DE I gladium extimescens) solen-  
 niter iureiurando affirmavit, illa omnia uera esse: de  
 quibus tamen mentiebatur: simulq; testes duxit Leo-  
 nardum Raimundum, & Ioannem de Rezegnano, qui  
 iureiurando idem affirmarunt. En quàm dolosè, ac per-  
 fidè sceleratus hic DE I contemptor, fraudè hanc imi-  
 piam machinatus est. S E. Ob quem finem scelestis-  
 simus hic huius generis dolos excogitauit? BRAS.  
 Vt bella inter Serenissimum Senatam Venetum, & Il-  
 lustrissimum Ducem nostrum excitaret (nam ex his  
 bellis arbitratur hic, cacodemone peior, in magnum  
 uirum apud Venetos euasurum) chymeras quasdam  
 mens illa deperdita nullius prorsus momenti machi-  
 nabatur, quæ malignitatem suam palàm detegerent.  
 S E. Miror Decemuiratus Magistratum uirum hunc  
 perurum, & qui illum in re tam magni momenti de-  
 ceperit, non puniuisse. BRAS. Fortè puniissent,  
 nisi DEVS statuisset illum sub custodiam Illustrissimi  
 Ducis nostri ducturum, ut in his, quos diligit, mira, &  
 inenarrabilia agat: nam nisi res ita successissent, non  
 potuisset Illustrissimus Dux maximum illud uirtutis  
 specimen, & exemplar ostendere: cùm scelestum hunc  
 uirum, qui sexcentis mortibus dignus erat, uita dona-  
 uit. ita enim DEVS plerunq; in seruis suis, quos dili-  
 git, agit. S E. Historiã obsecro prosequaris. BRAS.  
 De hoc facinore satis. Sed 1545. in mense Ianuarij,  
 tot sceleribus nondum satur, quot perpetratus erat, ut  
 suis prauis cogitationibus aliud adderet super aliud  
 pòdus, cùm Patanijs esset in cœnobio fratrum Mino-  
 rum,



rum ex ordine diui Francisci, cui titulus est Sanctus Antonius, consilium iniuit, ac statuit simul cum Ioanne Maria Milanato eius expeditore, fratricidium committendi; ad quod nephanda sequebantur homicidia. Nempe statuerat Angelam Manfronam, eius sororem, & Rainaldum Cominum sororium uenenare. immo his duobus non contentus, excogitauerat Illustrissimi Ducis filios, & nobiles multos Ferrarienses eodem ueneno necare: nam Diui Antonij festum imminabat; quo die Illustrissimi Ducis filij cum ipsa Angela Manfrona pransuri erant; & simul nobiles multi Ferrarienses. S. E. Quomodo poterat hic scelestus tot nobiles uiros uenenare? BRAS. Hoc modo, praedicto Ioanni Mariae labellum praebuit superbis piris, saccaro conditis, plenum; in quorum medio sublimatum argentum, & arsenicum condita erant. Quippe, ut ad praeuagendum semper pronus fuit, ita tam apposite hec pira concinnauit, ut nemo dolum discernere posset. Florem uniuersam pro absulerat, & foramen praedicto ueneno impleuerat; deinceps florem suo loco tam apte infixerat, ut prauidere difficillimum esset. Tunc Ioanni Mariae imposuit, ut labellum hoc ad sororem, ac sororium sub nomine uxoris Domini Iacobi Comini, eiusdem Rainaldi Comini patrum, mitteret: nam a filio domini Iacobi scriptae erant literae ad Rainaldum, quas ab eo petierat Manfronus, ad auram captandam pro Alexandro Zago. Ipse uero hisce apertis literis duos uersus alijs caracteribus subscribi iussit; quibus indicabatur pira haec ad Angelam, & Rainaldum ab uxore Domini Iacobi mitti. Et ut praeuagantes plerumque cacodæmon adiuuare consueuit, successit partim, ut opta-

ut opta=

ut optabat nepharius, ac scelestissimus uir. Nam label-  
lum in sororis, ac sororij manum peruenit. S E. Cur  
sororem, ac sororium uenenare cupiebat insolens hæc  
testis? B R A S. Indignum putabat sororem suam  
accepisse in uiram Rainaldum Cominum. S E. Non  
est æqualis Cominorū prosapia Manfrone? B R A S.  
A nobis in presentiarum nō est facienda de prosapijs  
comparatio: nam Manfrona domus semper honore di-  
gna fuit, nisi hic scelestus illam commaculasset. At qui  
nam potuit commaculare, cum à nutrice ex heropho-  
trophio ueri Ioannis Pauli loco educus esset, atq; edu-  
catus? Neq; spernenda est Cominorum familia, in qua  
semper honestissimos uiros noui. S E. Ob quam cau-  
sam tot nobiles interficere uolebat, inter quos fortè  
& amicos habere poterat? & ob quid Illustrissimi Du-  
cis filios? B R A S. Nobiles nullo penitus prætextu  
necabat; sed eius facinorosa natura in malum semper  
prona, haud præue agere non poterat: dulces uero Il-  
lustrissimi Ducis natos sub hoc prætextu, quia Illustris-  
simus Dux (ut dicebat) rem ueneram cum Angela hæ-  
buerat, uolebatq; hoc falso prætextu culpam tegere.  
Nam ipse ante Prætores sponte fassus est; non dubi-  
tare Illustrissimum Ducem, nunquam Angelam carna-  
liter cognouisse, sed ut ansam aliquā haberet tot per-  
petrandi facinora, quæ sub honestatis prætextu uide-  
rentur, hoc imaginatus erat. & hoc respondere statue-  
rat, si quandoq; ab aliquo percunctaretur, cur esset tot  
scelerum author. S E. Quid putas tu de Angela, &  
Illustrissimo Duce? B R A S. Ita certus sum, ut me  
hic esse non dubito, Illustrissimum Ducem ne id quidem  
somniaffe, ut etiam historiæ processus apertius ostendit.



det. SE. Quid autē de ueneno effectū est? BRAS. Es ne solus peregrinus Ferrarie, qui ignores ex eo ueneno quatuordecim fuisse uenenatos? SE. Audiui quidem, sed quōnam modo effectū sit ignoro. BRAS. Audias igitur. Die 31. Decēbris 1544. erat autem dies Veneris, circa octauam noctis horam, nostras ad fores pulsatū est, tūc in nostris antiquis ædibus propē diui Antonij templū habitabamus, & ibi propē in domo Opitiorū habitabant Comini; surrexere serui, quorū unus unum ex pueris Cominorum ad me duxit: hic orauit me, ne graue esset ad dominā Angelā proficisci, quæ malè uexabatur, ac torquebatur: addebatq; si unquam à me. gratiam impetratura illa esset. E' le=do surrexi, & illuc profectus sum: reperi dominam Angelam uentriculi dolore praue affectam, reserebatq; persentire, ac si canes uentriculum eroderent, & forte decies euomuerat, totiesq; excreuerat, cum quodam per totum corpus tremore: idem faciebat maritus: idē & tres ex ipsius ancillis: hi omnes praue torquebatur. illis omnibus prædixi hæc esse ueneni symptomata, cœpiq; suadere, quòd sanitati restituerentur, si illa omnia agantur, quæ à nobis agenda proponētur. Tunc domina Angela exclamare cœpit: O dire, & crudelis frater, ò tuarū carniū homicida. Tamē uidebatur potius de domino Rainaldo agreferre, quàm de se ipsa: idq; uerbis ostendebat. At statim cœpi his omnibus medicam opem asferre, uomitumq; uehementius prouocauit: deinde selecta quedam alexipharmaca, adhibui, quæ in Illustrissimi Ducis nostri archiuis condita sunt, de quibus alias cōtra uenena experimēta feceramus; & Illustrissimus Dux, ut benignus est, ac libera=

lis,



lis, his tantam medicamenti copiam prae-  
 buit, quanta satis fuit pro potu, pro un-  
 ctione, & pro pulueribus. itaq;  
 effectum est, ut hi quinq; in san-  
 tatem resti-  
 tuti sint: tamen uehementia perpe-  
 si sunt, ne dum  
 pasi tormina, alui profluua, uomitus,  
 uentriculi mor-  
 sus, ac erosiones, & desperatus fe-  
 re cordis pressuras.  
 S. E. Dixisti fuisse quatuordecim ex  
 eisdem piris ue-  
 nenatos, tamen quinq; solu numerasti.  
 B. R. A. S. Nō-  
 dum historiam integre perfecisti. Dum  
 torqueretur An-  
 gela ferè, & in labellum irata, dixit:  
 Projicite, projici-  
 te labellum hoc deperditi fratris munus.  
 Nonnullæ ex  
 ancillis, quæ & ipse torquebatur,  
 labellum extra fe-  
 nestram proiecerunt, quod in terram  
 decidens, minime  
 fractum est. Aurora illucescente  
 nonnullæ pauper-  
 culæ, quæ in templum ibant, ut  
 rei sacræ interessent, la-  
 bellum hoc uidentes, mirum in  
 modum gauisæ sunt, & sponte  
 à fenestra decidisse putarunt;  
 labellum accepere, & pira, quæ  
 per terram sparsa erant, collegere:  
 & postquam diuino interfuere  
 sacro, letè domum reuer-  
 se sunt: nouem ex illis pauper-  
 culis pira degustarunt, sed &  
 in hoc numero aderant homines:  
 inde ad horam omnes eisdem  
 torminibus uexari cœpere, eodem  
 uomitu, eodem alui profluuio,  
 quibus & in domo Comino-  
 rum, qui ederant pira, uexabantur:  
 inter has uerò mulierculas  
 (proh scelus) una aderat, quæ  
 recenter enixa erat, & quæ post  
 conceptum malè tractata fuerat,  
 & in partu peius, in puerperio  
 uerò pessimè, ut uix expirare  
 posset, huic mulierculæ illæ  
 quinq; pira forte porrexere,  
 putantes his piris illam esse  
 refecturas: hæc sola misella in  
 primo uomitus, ac perturbationis  
 impetu obiit, reliquæ in san-  
 tatem restitutæ sunt. Et Illustris-

B mus

mus Dux noster, sua benignitate, diuinâq; percitus misericordia, iussit ut his etiam pauperculis conueniens sui alexipharmaci portio præberetur. At misellam enixâ mors præuenit prius, quàm alexipharmaci uires experiri potuerit. SE. Quod nam est alexipharmacum? BRAS. De illo non est hic tractandi locus, hæc summa est: Neminem ex his, qui alexipharmacum accepere, obiisse. SE. Sexcentis mortibus dignus esset improbus hic uir; mirorq; DEVM animâ tam deperditam ferre posse: sed reliqua prosequaris. BRAS. Addam & hoc malorum culmen, uir hic, cuius mens non nisi dira, & nephanda excogitare sciebat, cum esset Frata in agro Rhodigino, ubi erat proprie habitationis locus 1545. in mense Nouembris, statuit cum Zanetto Belletato, eiusdem loci incola, Philippum Capellum interficere; si uerò contingeret, ut Philippum interficere non possent, saltem Mattheus necaretur, eiusdem Philippi pater, & unusquisq; qui ad horum defensionem se exponeret. Itaq; iussit prædictum Zanettum cum multis alijs in agrum Ferrariensem, in uillam quandam, quæ Lacus obscurus nuncupatur, ubi Philippus habitabat: idq; fuit summo mane, cum Zanettus, & alij consocij uarijs armorum generibus constiti, prædicti Capelli domum aggressi sunt: at Philippus, dum fores, & hostia confringerent, per fenestram, in posteriore domus parte constitam, aufugit: uerum cum uesper Franciscus Gazola nocte peruentus fortis fortuna pernoctasset, & ipse quoque per eandem aufugit fenestram. Nonnulli uerò ex his graffatoribus illum uidere, & cursim secuti sunt: illumq; præuenire apud prædia domini Iacobi Aluaroti, foueam



uēam quandam pertransuentem, quem multis uulneribus interfecēre, decapita uēre, et caput fractū ad Manfronum attulēre. Quod uidens, hoc sibi gratum esse dixit; quoniam signiferum eius in carcerem truserat. Dumq; grassatores illi per Capellorum domum Philippum querebant, subuculan annulis ferreis confectam, cum manicis eiusdem generis, suffurati sunt, quæ sunt precij uiginti quinque scutorum. S E. Fuere igitur non tantum homicidæ, sed & grassatores? B R A S.

Quis ambigit? Erat uerò Franciscus Gazola uir in suis rebus peragens dexterimus: nam erat licitorum Capitaneus, & Philippus Capellus Illustrissimi Ducis (ut hoc nomine utar) officialis. S E. Et hæc etiam iniuria ad Illustrissimum Ducem spectat. B R A S.

Spectat prorsus, etiam si hæc in Ferrariensi agro non peregissent, quia erant Illustrissimi Ducis serui, & officiales. Sed en quod aliud scelestissimum scelus perpetratus sit temerarius hic effrenis: Hectorem Guazzum Vicentinum ad se uocauit, & multis inter ipsos consultationibus factis; denique statuere eximium iureconsultum dominum Lanfrancum à Gypso, cōsiliarium, ac generalem eiusdem Illustrissimi Ducis Questorem, interficere: at cum illud difficile uideretur, cum pluribus semper sit comitatus, & per publica incedat loca: iccirco statuit, si contingat, ut detruncari possit, detruncetur, sin minus, obruncetur Comes Nicolaus Rouerellus, ipsius Manfroni consobrinnus, & nobilis Ferrariensis. Itaq; Hector Guazzus Ferrariam uenit, nonnullis alijs comitatus, qui diuersis armorum generibus obfidi erant: cumq; Guazzo uisum sit difficile admodum eximium Lanfrancum consequi, occasione acce-



pta, Comitum Nicolai Roucellæ domum ingressus est, quem in lecto cubantem inuenit in suo cubiculo, & illum dirè uulnerauit; alijs tamen comitatus; & deniq; ipsius caput detruncarunt, & Fratam asportarunt. SE. Videbatur esse hic Comes probis moribus ornatus. BRAS. Et erat profectò, atque humanus: forte Manfronus pecuniarum inhians, affinem suum interficere iussit, ut à Venetis redemptionem assequeretur, quam præbere spondederant unicuiq; qui Nicolaum capite mulcassent. propterea caput statim Venetias misit, ut hi, qui scelus perpetrati erāt, pecuniam assequeretur, & quam inter se postea diuiderent. SE. Sunt ne scelestissimi hi homicidæ pecuniam consecuti? BRAS. Minime omnium. SE. Cur? BRAS. Rē pulchrā audito, & quomodo DEI iudicia progrediantur: Senatus Venetus admonitus fuit, hos improbos homicidas huic nobili caput abstulisse iam mortuo. ego illi rogato medicam manum adhibueram, & iam conualuerat. sed nondum è lecto surgebat. Veneti nobilem quandam Ferrariam miserè, ut intelligerent: an uiuus esset Nicolaus, cum illi caput uiri hi scelesti detruncarunt, & neque unum inuenire potuerunt, qui uitium esse sateretur; sed potius nonnulli fassi sunt, ipsum fuisse iam mortuum. SE. Nihil ergo pro tanti sceleris præmio recipere? BRAS. Immo in carcerem trusi sunt, uipore qui Senatū Venetum decipere tētarint. SE. Utinam suspensi fuissent. BRAS. Denique suspendentur. SE. Prosequaris obsecro huius impij facinora. BRAS. Hac illa sunt, quæ uir impius fessus est, se esse perpetratum, & sponte dixit, ac confessus est, ita constare, ut à me dictum est. Id uerò

uerò fuit 30. die mensis Iunij 1546. ut legi potest in actis domini Maurelij de Taurino publici notarij Ferrariensis. hancq; delictorum suorum professionem fecit in castro ueteri Mansronus, in cubiculo superiori Sancte Catherine, presentibus testibus domino Petro Manfredo Castellano, & Iohanne Pauanello philacista, & Baptista de Fachinis, & Hieronymo de Blancis, & Hercule Taiono, ueteris castri custodibus, tunc Prætor illum admonuit, quòd sequenti die, hora 12. in prædicto castro ueteri supra manus atrij, ut iura expetunt, erat sententia laturus. S E. Tullit'ne eadem hora sententiã? BRAS. Tullit, & eodem die, ac pronunciauit in prædicto loco sono campanæ, & tubæ de more, multis nobilibus, ac ciuibus Ferrariensibus presentibus: fuit uerò capitali pœna damnatus, & corporis sectione in quatuor partes, quæ erant affigende in loco, qui dicitur Lacus obscurus; caputq; lanceæ infixum, supra prætorij turrem erat suspendendum, ut ibidem ad multos annos illis exemplar esset, qui Principes irritare uolunt. Fecit contra Pythagoræ præcepta, dicentis: Ignem ne fodicato. i. Ne maiores te percito. S E. Quis fuit Prætor, qui illum tali pœna damnauit? BRAS. Dominus Antonius Cocapanus æques, & utriusq; iuris doctor excellentissimus, cuius Carpenfis, necnon & notarius dominus Maurelius de Taurino. S E. Reliqua recenseto facinorã? BRAS. Non'ne hæc satis sunt, ut sexcentis mortibus multari deberet? S E. Satis quidem: sed audiueram infinita alterius generis scelera, ab hoc infelicissimo esse perpetrata. BRAS. Infinita prorsus feruntur, sed neq; in agro Ferrariensi, nec in Illustrissimum Ducem no-



strum perpetrata sunt . tot uerò alia referuntur , ut  
 infinitus sit numerus ; neque opus est nos illa referre ,  
 ob quæ Ferrariae non esset multandus . S E . Audiui  
 genitorem suum tam probum uirū extitisse . B R A S .  
 Fuit & magnificus , & prudens , & ab Illustrissimis  
 Estensis familiae Principibus dilectus ; forteq; patris  
 uirtutes , & nobilissima gesta aliquid pietatis Illustris-  
 simo Duci nostro accreuere : tamen iureiurando affir-  
 mare , hunc Ioannem Paulum non fuisse magnifici Iu-  
 lii Manfroni filium , sed uerus Ioannes Paulus cum lac  
 exsugeret , nocte quadã ex insperato obiit : nutrix , cui  
 hoc dirum uidebatur , marito ad locum illū , in quo spu-  
 rij seruantur , misso . spurium quendam loco ueri Ioan-  
 nis Pauli , iam mortui , surrogauit , et educauit , eodemq;  
 nomine illum uocauit : nempè timebat nutrix ne ira  
 percitus magnificus Iulius , illam pessimè tractaret .  
 quippè impossibile uidetur ex patre tam iusto , tam  
 prudenti , tam deniq; probo , & ex matre honestissima ,  
 ex prosapia tam nobili , tam seclerum , tamq; facino-  
 rosum uirum prodijisse . S E . Cuius ergo fuit filius ?  
 B R A S . Ignoro , sed forte fuit alicuius improbi ut-  
 ri filius , & scelerati , qui ob demerita aut Patauij , aut  
 Rhodigij , fuit publice cruci affixus . Hæc sūma est , fuis-  
 se terræ filium , & incertum . S E . Non possum à tua  
 sententia dimoueri , cum uiros illos contemplor , qui  
 fuere in hac prosapia sapientes , ac probi , & nunc etiã  
 extant . Cum statim captus fuit , credendum est multos  
 ex amicis , & affinibus ad Illustrissimum Ducem , ut li-  
 beraretur , literas misisse , & Senatū etiam Venetum .  
 B R A S . Immo , & paucissimi : Senatus autem Vē-  
 netus ne uerbum quidem fecit : nam & hoc tam scele-  
 sti uiro



Si uiro priuari optabat: nullusq; ex amicis ausus est pro tantis sceleribus ad Illustrissimum Ducem literas mittere. Sed quos habebat amicos hic; qui & affines ipsos laeserat, neminiq; pepercerat: solus dominus Petrus Paulus, Manfroni patruus, ad Illustrissimū Ducē scripsit, non quidē ut nepos liberaretur, sed ut occultē (pro seruanda profapia honestate) interficeretur, & ne in publicum spectaculum res ageretur. Nullus erat ex amicis, nullus ex affinibus, immo nec sorores propriae, nec ipsa mater, qui nō optarent hunc uita priuari sed occultē. Idem oratus est Illustrissimus Hercules Rangonus, Manfroni Vitricus: solus Reuerendissimus Hercules Cardinalis Mantuanus, uir pietate insignis, Mantuae Praepositum, ad Illustrissimum Ducem misit, qui eius nomine pro hoc infelicissimo ueniam impetraret: at quia Illustrissimus Dux nolebat quempiam, quid acturus esset, praescire, tam ambigū huic Praeposito respondit, ut certam non haberet Illustrissimi Ducis deliberationem, quam ad Reuerendissimum Cardinalem referre posset: statimq; in aliam sententiam uerba conuertit, ne à Praeposito interrogaretur, quid Reuerendissimo Cardinali resposurus esset. S E. Abijt ergo absq; resolutione Praepositus? B R A S. Absq; ulla prorsus resolutione recessit: tamen Illustrissimus Dux illic ad Reuerendissimum Cardinalem sua manu literas scripsit, quibus quid acturus esset, indicabat. S E. Optarem quid in illis contineretur literis audire. B R A S. Possum tibi ad uerbum Illustrissimi Ducis literas referre, nam illorum exemplar habeo in pera reconditum. S E. Rem gratissimam mihi facies, si non sit tibi graue referre. B R A S. Eas li-

B iij benter

benter referam, neque uerbum præmittam si aures  
 exereris. SE. En totus aures euasi. BRAS. Ita  
 exorsus est suis in literis illustrissimus Princeps.  
 ILLUSTRIS. & Reuerēdis, domine mi, et cōsobri  
 ne honorādisime, Arbitror Reuerēdisimā præstantiā  
 tuam à Præposito intellexisse, quid illi referendum di  
 xi de Manfrono, qui etsi ob infinita eius & in me, &  
 in meos facinora sexcentas mortes promerisset, ut  
 alijs temerarijs, ac improbis uiris esset exemplar, ne in  
 eiusmodi cogitationes improbas, ac sceleratas inci  
 dāt, tamē animo uoluens quantū minimē conueniat no  
 bili, ac generoso animo actum aliquem se indignum in  
 captiuum, qui inter mortuos numerari potest, exerce  
 re; illud statui, ac deliberaui, quod non quidem his li  
 teris describam; sed particulatim Reuerēdisima præ  
 stantia tua ab illustri fratre meo audiet: cum in præ  
 sentiarū plus mihi debeat Manfronus, cū sub ditione  
 mea sit captiuus, & illum meritō sexcentis capitibus,  
 ac iure priuare posse. Mihi igitur, qui rationi potius  
 obtempero, quā sensuum commotioni, conuenientiū  
 uisum est agendum esse, ut me e uidetur clementiæ, ac  
 pietati, quā ut Manfroni impietas, ac sceleritas me  
 rebatur. Quippē mihi satis uisum est, illum eo dedux  
 isse, ut quanto errore ductus esset, & quanta teme  
 ritate cognosceret: illumq; in id discriminis deduxisse,  
 ut uniuerso mundo publicum sit exemplar, atq; apertū,  
 his, ac similibus beluis, quæ sub hoc prætextu admi  
 rabiles fieri, ac magni uiri, quando absq; ulla causa sin  
 gunt se esse magnorum Principum hostes acerrimos.  
 Nunc uerò ad te redeo Reuerēdisime Præsul, mihiq;  
 gaudeo, tibiq; supra modū gratulor, DEVM summum  
 optimum



optimum mihi hanc gratiam præstitisse, ut ex his ambagibus tanto cum honore, absq; ipsius summi DEI offensione extuerim, præsertim cum aliorum homicidia euitauerim. nempe impossibile erat, me hunc trucidari iubere (quod tam mihi erat facile, ut nunc uerbis exprimere facile est) quin multi alij, qui cum eo plerunq; sunt, obruncarètur. Et deniq; Reuerendissime Præsul tibi iureiurando affirmo, nisi dubitasset huius infortunati insipientiam, & dira, quæ habet peccata, illum ad alia perpetranda scelera perductura, ob quæ illum puniri facere iterum cogerer, & nisi arbitratus essem ob nimiam animi mei erga indignum uirum liberalitatem, noua scandala oriri posse, lubentius illum penitus absoluissem, et liberasset: ut uniuerso orbi ostèderem, me talem esse uirum, qui meas animi passiones prosternere possim; & tali clementia iniurias ferre, quali in huius generis casibus in Principibus, mihi honoratius semper uisum est, quàm uti uisitia. Veruntamen Reuerendissima præstantia tua me excusatum habeat, si tam breui, tamq; obscure nobilem illum Præpositum allocutus sim, quoniam tunc nihil aliud cuiquam mihi dicendum uidebatur, ne uel minimum sententiæ meæ præsciretur, quoad Mansronus ipse extremo illo dolore affectus esset, quo capitali poena puniendi affici solent; quem dolorem arbitror futura nocte patietur: qua de re mihi fortè in posterum debet: quoniam hac nocte uerè delicta sua peccatorum auditori referet, quæ fortè à quintodecimo anno citra haud retulit, ac propalauit: idq; faciet, putans se die crastina esse capitali poena mulctandum. Sed ne hac de re Reuerendissimæ præstantiæ tuæ aures diutius obtundam,

obtundam, hic finem faciam. In reliquis illustris frater meus cretenus supplebit. SE. Hactenus illustrissimum Ducem nostrum ueluti naturalem patronum nobis à DEO concessum diligebam, deinceps illum uehementer amabo, atq; obseruabo: ignorabam enim illum tam eleganter, tamq; scite posse in epistolis uerba referre, & tam apposite sententias ordinare. BRAS. Id ignorabas, quod nullus, uel sellularius nesciebat: nam ipse tam concinne latina utitur lingua, ut Ciceroni æquari posse uideatur. In consciendis uerò carminibus nulli est in hac nostra ætate secūdus. Sed hæc misera faciamus, nam res ipsa magis nota est, & aperta, quam ut à nobis referatur. SE. Manfroni igitur historiam prosequaris. BRAS. Trigesimo Iulij die 1546. cum iterum præscripta facinora coram iudice repetisset, et capitali poena multandus iudicatus esset, & ut superius dictum est, obrucandus, in carcere ductus est circa sextam noctis sequentis horam: philaciste cum iustitiæ ministro carceres reserarunt, & ferreas manicas Manfroni imposuerunt, eo tamen conquirente, & dicente, ut illum dormire sinerent: at hi dicebant iterum esse examinandum, ut absque ui sine-ret sibi ferreas manicas imponi: postea iustitiæ minister illi nuntiauit, quòd de anima sua dissoneret, & illam DEO commendaret, quoniam illucescente die hora 12. erat capite multandus. SE. Quid tunc dixit miser? BRAS. Quid? an nescis? uox illa fuit stylus acutus, qui cor eius transfixit. cœpit uoce alta clamare: Me prodidère: nam Prætor, ut quiete sua ob-scœna demerita aperiret, suadebat ne expauesceret, quoniã cū Illustrissimo Duce ipse ita acturus esset, si

ueri=



ueritatē palam faceret, ut illi omnino parceret. S E. Si omnia ceruicosē negasset, quid de illo actum esset? B R A S. Equuleo, alijsq; tormentorū generibus illū torxissent; quoniam aderāt præsentes horum facinororum testes, qui omnia corā eo aperiebant, ut ille nec rem minimam inficias ire potuerit. At sese tātum excusabat, quod eiusdem sententiæ amplius non esset, ut Illustrissimum Ducem ledere optaret: nempe alia facinora nullius momenti existimans præter illa, quæ in Illustrissimum Principem molitus erat. S E. Nihil aliud dixit præter hæc uerba: Me prodidēre? B R A S. Nihil aliud: sed statim extra thorum in terram se proiecit, & ueluti sus circumuoluebatur, collumq; inter thori pedem, ac parietem mirum in modum circumducere cœpit, ut nisi duo affuissent ex his pullatis, qui puniendos solari solent, & illum ab eo loco pedibus abduxissent, sese spōte necasset: aderantq; iam uestigia dilaceratæ cutis circa collum: & mox hi pullatū illum solari cœperūt, & ad animam DEO alacri animo reddendam peccatis puram hortari. at ille obauidebat, neque ad animæ præparamenta excitari uolebat. adfuit & presbyter, cognominatus Capsula, qui illum solabatur. S E. Improbus ille, qui nuper clandestinè Ferraria aufugit, & congregatas pauperum pecunias asportauit, & multa hebræorum bona? B R A S. Ille inquam nepharius Ioannes . . . \* . . furcifer, qui Illustrissimi Ducis castides denique non euitabit. S E. Hos igitur, qui solabatur, audire nolebat? B R A S. Sed & eijciebat, & solū conquerebatur: deniq; illuc accessit reuerendus pater, dominus Hieronymus Papinus, ut Manfroni peccata audiret.

ret: SE. Tulit ne hunc loqui? BRAS. Tulit profecto, & eius facinora secreta audiuit. SE. Quid deinceps retulit Pater reuerendus? BRAS. Nemi-  
 ni licet ea, quae in secreta, & auriculari peccatorum  
 auditione dicuntur, reuelare: tamen reuerendus Pa-  
 ter à nobilibus quibusdam interrogatus, ita respondit,  
 quantum sit in illa auriculari peccatorum auditione  
 nunquam syncertorem hominem audiuisse, & qui mi-  
 nus esset peccatis onustus: inmo, & quae retulerat pec-  
 cata, uenialia esse fatebatur. SE. O infelicissimum  
 uirorum, eni & DEVM ipsum decipere studebat.  
 BRAS. Fuit in hac maxima angustia Manfronus,  
 usq; ad horam 13. nam putabat statuta hora esse de-  
 capitandum. interim Illustrissimus Dux iusserat nobi-  
 les omnes hora duodecima interesse, ut causas audirèt,  
 & facinora, ob quae decapitandus esset Manfronus:  
 iccirco magna interfuit nobilium frequentia, & iam  
 in castrò ueteri erat parata securis, cū in turrim San-  
 ctæ Catherinae in cubiculo maiori inferiori nobiles  
 congregabantur. SE. Qui nam aderant congrega-  
 ti nobiles? BRAS. Non modò Sanctæ Catherinae  
 cubiculum plenum erat, sed & totum uetus castrum  
 aderat, & magna ciuium frequentia. non possem ego  
 omnes ad unum referre, tamen nonnullos ex nobilita-  
 ribus referam:

Illustris Camillus Vrsinus.

Illustris Gwonus Estensis.

Illustris Franciscus Estensis.

Illustris Galeacius Gonzaga.

Magnificus comes Hercules Rangonus.

Magnificus comes Camillus Tassonus.

Magnifi-



Magnificus comes Galeacius Tassonus.

Magnificus comes Nicolaus Tassonus.

Magnificus comes Federicus Montis Cuculi.

Eximius dominus Casar de Nobilibus, consiliarius.

Eximius dominus Lanfrancus à Gypso, consiliarius, &  
generalis Illustrissimi Ducis procurator.

Magnificus dominus Iacobus Trottus, Tribunus pleb.

Eximius dominus Antonius Cocapanes Prætor.

Eximius dominus Alphonfus Rossættus.

Eximius dominus Philippus Rodus.

Magnificus dominus Alexander Guarinus, à secretis  
Illustrissimi Ducis.

Magnificus dominus Bartholomeus Prosper, à secretis  
Illustrissimi Ducis.

Magnificus dominus Paulus Constabilis.

Magnificus dominus Alphonfus Ziliolus.

Magnificus dominus Federicus Quata.

Magnificus dominus Petrus Mansfredus Castellanus.

Magnificus dominus Ioannes Paulus Machtauellus.

Magnificus dominus Bartholomeus Caualcanti Floren

Magnificus dominus Ferantus Trottus. (tinus.

Et alij non pauci, tum nobiles, cum ciues interfueret, &  
circa horam decimam tertiam Illustrissimus Dux in cu  
biculum, tot iam nobilibus plenum, descendit. Et ueluti  
pro tribunali sedens, his, quæ sequuntur, uerbis usus est:

ILLUSTRES uiri, uosq; nobiles, ac ciues charissimi,  
nemo uestrū admiratione affici debet, si Ioannē Pau  
lū Mansfronū tā sedule, tamq; diligenter persequutus  
sim, et adeò persequutus, ut sub nostrā deniq; deueniret  
custodiā: quoniam talia sunt huius uiri & in me, & in  
meos facinora, ut illū (si aliqua mihi aderat mei honoris  
cura)

cura) prosoqui debere: uerum ut uos omnes optimi sitis testes, me id coactum effecisse, flagitiosa audite huius uiri facinora. SE. Fuit ne Illustrissimus Dux, qui Manfroni scelera retulerit? BRAS. Minimè, sed Prætozem ad se uocauit, ut omnibus processum (ut uocant) aperiret. Itaq; notarius alta uoce illa, qua superius enarrauimus, facinorosa gesta, omnibus audientibus, legit; quibus perlectis, statim Illustrissimus Dux altiori uoce, hac oratione usus est: En uiri ornatissimi quot mortis generibus dignus esset hic infortunatus: uerum enim uero, ut cunctis hominibus, & uniuerso orbi palam sit, me animi affectus uincere posse, sicuti iam diu iniurias, quas in me exercuerat DEO commiserans ita nunc uitam suam optimis suis cognatis committo, atq; dono: nec cuiquam ansam præbere institui, qui iuste imaginari possit, si infortunatum hunc interfici iussisset, id me effecisse, quia iniurias in me præsertim machinatus sit. De hoc tantum uehementer doleo, ac mereo, non posse illum, ut à morte libero, ita à carceribus uedicare: nam eius natura tam iniqua est, & eius facinora tam scelestæ, & innumera, ut arbitrari non possim ipsam non debere ad uomitum redire: tuncq; cogere illum atrocius puniri facere. hæc causæ sunt cur illum liberè non dimittam. Sed forte tempore rescipiscet, idq; aliàs fiet, & magno eum Manfroni commendo: nam minus temerarius euadet: nempe & cauea solent leones, ac pantheras cicuriores reddere. Veruntamen cum infortunatus hic ubiq; propalauerit, & publice diulgauerit, me Angelam sororem suam uitasse, palam professus est, id effecisse, ut iustam quandam haberet ansam, grauisimum illud agendi ueneni sce-

lus,



lus, quo & sororem, & sororium necare studuit. At ne ego pudicam illam mulierē, & coram uobis, & coram uniuerso orbe diffamatam derelinquam, DEVM testor immortalem, me nunquam illam uel utiisse, uel uitare excogitasse: quod si secus sit, supra filios meos, ditionem meam, & meipsum DEI uindicta descendat (tunc uerò supra Illustris Aloisij secundogeniti caput Illustrissimus Dux extensam manum habebat) SE. O uerba tanto Principe digna, qui nō modò illa, quæ ad ipsum spectabant, curauit, sed & qui palam ostendere uoluerit, pudicam mulierem non fuisse impudicam. Quid deinceps actum est? BRAS. Illustrissimus Dux eximio Lanfranco à Gypso, quem hic interfici curauerat, imposuit ut ad Manfronum proficisceretur, & causam inquireret, ob quam illum necari studuerit; postea illi nuntiaret eum esse ab Illustrissimo Duce uita donatum. Quod & effecit eximius Lanfrancus, et Manfronum deosculatus est, qui nullam causam reddere sciebat, cur illum uoluisset uita priuare: deinde Illustrissimus Princeps, et cæteri nobiles, quia hora iam imminebat, ad prandium profecti sunt, & per duos integros dies quisque potuit Manfronum uisitare, & alloqui: nulli deinceps concessum est, nisi uenia prius ab Illustrissimo Duce impetrata. Ductus uerò fuit in amplum cubiculū, in quo & Illustrissimus Dux quandoq; cōmoratus est, ut tibi quoad DEO placuerit uiuat, & quoad Illustrissimo Principi nostro hunc infortunatum respuisse uisum fuerit. SE. Est ueluti sericea tela, quæ rugas iam contraxit, & quæ facile dimoueri non possunt, ita qui maleficijs assuetus est, ab ipsis non nisi difficulter remoueri potest.

BRAS.

BRAS. Tamen necessitas plerunque sapientiores reddit homines. S E. Quibus indicijs illustrissimus Dux hunc resipuisse cognosceat? BRAS. Hoc breui sciri non potest, sed opus est, ut in maxima uiuat modestia, ac moderantia, in uictu, in sermone, & in alijs omnibus actibus; & hoc non quidem breui, sed per integros annos. S E. Arbitror (si Manfroni mores cōsidero) illū nō esse, ne per hebdomadā quidē, in illa moderantia, quam retulisti, perseveraturum; quoniam maligna quadam detinetur stultitia, à qua homo non nisi per mortem liberari potest. O Dux noster inuictissime, potentissimeq; nunc maximam adeptus es uictoriam: nam nulla maior potest esse uictoria, quam se ipsum uincere, & affectus illos, qui animam tuam obsepuisse arbitror, pessundasse, huncq; uita donasse, qui illa te priuare non solum excogitauit, sed & tentauit. Illustrissimus etiā Dux Borsius Ioānem Peregrinum ab Abolico uita donauit, qui in ipsum contumeliosè machinatus erat: tam mites sunt, & ad ignoscendum proueniunt Estenses Principes. BRAS. Quod de Illustrissimo Borsio refert, egregium quidem, et memorabile fuit, sed cum Illustrissimi Ducis nostri munere nullo pacto est comparandum: nam Abolicus in Borsij uitam non conspirauerat, sed de eo uerbis tantum locutus erat. Nempe legitur Venetias data opera profectum esse, ut sua maledicentissima lingua de Illustrissimo Borsio male diceret: hos uerò Illustrissimus Dux noster ita negligit, ut crepitus uentris, ac troclearum strepitus. Et ille profectò Abolicus sub quodā honestatis pretextu ansam habebat maledicendi, nam paucis ante diebus ob phasianorum, & perdicum aucupium,

Ob



Ob ueritatem, quam Illustrissimo Borsio negauerat, iusserat Borsius Laurentium Abolicum, Ioannis Peregrini filium, capite mulctari. Egregius uisus est fecisse Cæsar: nam, ut Suetonius ait, acerbè loquentibus satis habuit pro conditione denūtiare, ne perseverarent Auliq; Cecinæ criminosisimo libro, & Pitholai carminibus maleficientissimis laceratam existimationem suam, ciuili animo tulit: tamen & egregiam Illustrissimi Borsij liberalitatem comprobamus, sed non esse cum Illustrissimi Ducis nostri pietate conferendam, nō dubitamus. S E. Hoc mihi summopere displicet, quod in his Principibus Estensibus uigere deprehendimus: nam illos suspendi iubēt, & capite mulctari, qui phasianos capiunt, atq; perdices, ac si propria sint animalia, illaq; emerint, & suis sumptibus educauerint.

B R A S. At tu econtrario hominum nequitiam, ac temeritatem considerato. adsunt de phasianis, ac perdicibus statuta multa, ultionesq; uident, tamen contra decreta præuaticare audent, quanto minus hi DEI præcepta seruabunt, quem non uident, & qui illos in præsentiarum non punit? Sed ne amplius in hoc errore uerferis, scito neminem unquam ob captos phasianos, uel perdices fuisse capite mulctatū. S E. Ego his, his inquam oculis decem uidi suspensos, & cum nonnullis aderant suspensi canes, & scorpiones.

B R A S. O bone Senex, si sciuisses quid sub illorū suspensorum pelle latitabat, cognouisses ob phasianos, uel perdices non fuisse suspensos. Putas ne Illustrissimum Ducem nostrum, & magnanimum nulla, quæ præter honestatem essent, perpetrare posse? putas ne tam pium uirum, tam religiosum, tam sanctum absque

C iusta

iusta causa quempiam suspendi iubere? ne hoc arbi-  
 treris, cum sapientissimus sit, & omnia egregie co-  
 gnoscat, quæ sunt, quæ fuerint, quæ mox uentura tra-  
 hantur. Ipse ex animo DEVM timet, & tota mente  
 ueneratur: unde omnia illi succedere prospera, ac se-  
 cunda. Si mæret, immortalis DEO gratias agit. Si res  
 suæ (ut faciunt, & facient) secunda succedunt, eidem  
 sospitatori DEO, ut potest, gratias referre conatur:  
 nihil sibi attribuit: omnia à DEO optimo omnium lar-  
 gitore data esse cognoscit. S E. Tamen et Ferraria,  
 & Venetijs, & alibi multos audivimus, qui Principi-  
 bus Estensibus uitio uertebant, quòd pro phasianis, et  
 perdicibus publicis aubus aliquem suspendi iusserit.  
 BRAS. Audito prius Senex charissime, qui nam, et  
 quo modo suspensio traditi sint: postea tu ipse mecum  
 Illustrissimi Ducis solertiam, honestatem, & clemen-  
 tiam prædicabis. Neminem unquam suspendi iussere  
 Estenses Principes, quin sexcentis mortibus dignus  
 esset, grassator, homicida, publicus fur, qui iam à Præ-  
 tore erat ad patibulum destinatus, ac iudicatus. Verùm  
 tamen Illustrissimi Duces (ut ego testis sum optimus,  
 qui intimam habui cum Illustrissimo Alphonsò consue-  
 tudinem, & quam nunc habeam cum Illustrissimo Her-  
 cule patrono meo nullus ignorat) iussere, et iubet hos,  
 qui ob alia multa facinora suspendi merebantur, sub  
 phasianorum, & perdicum prætextu suspendi: immo  
 illos phasianorum pœnis, & perdicum circumdari iu-  
 bent, ut alios à phasianorum aucupio deterreant, cum  
 tamen ob aucupium non fuerint suspensi: & Illustris-  
 simi Principis consciētiae satis erat scire illos ob alia  
 facinora, & non ob aucupium suspendi, licet fingi fa-  
 ciat,



ciat, illos ob hanc causam fuisse suspēfos. S E. Si hoc uerū sit, illos excuso, & probam illorum mentem, ac conscientiam comprobo: tamen cum melius sit nomen bonum, quā diuitiæ multæ, & quā suas assequi uoluntates, ob id optarem hos Illustrissimos Principes illud nomen euitare, quod ob aucupium, & ob commu-  
 nes aues homines suspendi iubeant. BRAS. Nullus est ex nobilibus, uel ex ciuibus ingenio præditus, qui ignoret, hos ob alia facinora fuisse suspēfos, & non ob aucupium; hoc soli ignari, ac rustici nesciunt, quos Illustrissimus Dux deterrere uult, ut aucupium derelinquāt: nempe nullus est, qui facilius, & cum maiori solertia has aues capiat, rusticis: iccirco hi soli sunt deterrendi. At ad rem nostram redeuntēs, Illustrissimus Dux Manfrono pepercit, non qui esset de illo oblocutus, sed qui in eius uitam machinatus erat, & qui maledicendo, ac petendo totis uiribus (si illi datum fuisset) conabatur Illustrissimum Ducem nostrum uinū deglutire: nam quicquid excogitare potuit, quicquid consingere, quicquid comminisci, ut Illustrissimum Ducem nostrum ab aura uitali auferret, & illum Senatus Veneti hostem redderet, insanēq; faceret, id toto animo effecit. Audisti quā temere, quā impie, quā scelestē Illustrissimum Principem nostrum trahere cupiebat, à quo innumera receperat officia: immo & paucis ante diebus Manfroni natum ad baptismatis undam eleuauerat, & illum (cum Ferrariam accedebat) uelut inter uinas recipiebat, ac honorifice trahabat: & nisi Illustrissimi Ducis authoritas se interposuisset, à suis quibusdam affinibus fuisset interemptus. S E. Hoc est, quod prouerbio dicitur, non esse  
 C ij suspē-

suspendendo porrigendam manum, ne illum, qui adiuvaret mox suspendat: hic miser infortunatus idem agere fludebat. sed prosequaris historiam. BRAS. Quotidie noua quaedam rimatur Mafronus, ut e carceribus ueluti auicula abuolet: literas cuidam famulo, qui illi inferuebat, nuper praebuit, ut amicis quibusdam redderet, quos ex animo orabat, ut ferrea quaedam instrumenta mitterent, quibus clathra perfringere posset, et hostia reserare: at Petrus Manfredus Castellanus, inuentis literis, famulum puniuit, & statim a seruitio abegit. finxit & superioribus diebus se esse aegrotum, suamque uino miscuit urinam, & terras castellanumque orauit, ut illam ad me mitteret: nepe arbitratur, si aegrotaret, relaxari debere. immo heri fumarium quoddam fregit, ut aufugeret: quod philicista praudentes, illum in arctiorem custodiam deduxere. SE. Est tam improbus, quod illi DEVS ob sua scelera mentem auferret, et aliqua perpetrabit, et ob qua coacti erunt in coepedes trahere. BRAS. Fortè respiciet. SE. Ad calendis Graecas. BRAS. Ortus est infelix iste, ut Illustrissimum Principem nostrum immortalem reddat: quippe nusquam inuenitur apud historicos aliquem Principem, tam nepharium hostem, tam benigne, tam clementer, tamque pie tractasse. SE. Legitur de Augusto Casare, quod uxoris Liviae consilio Lucio Cinnam, quem perdere cogitabat, anhelati patricidij uenam dederit. BRAS. Egregie quidem fecit Augustus, tamen in ipsum non erat conspiratio, habuitque Cinnam Augusti uxorem, quae pro ipso ueniam impetrauit: at nemo (praeter Reuerendissimum Cardinalem Mantuanum, qui & absens erat) ueniam pro Manfrano im-



no impetrare ausus est: nempe & affines, & amici solum petebant, ut occultè trucidaretur. en quàm sponte hac pietate usus sit Illustrissimus Dux, cum aliàs in puniendis reis, ad remittendum poenam, Illustrissimum Ducem hortari assuetus sim, & ne summum ius exerceat, admonere. Videns hoc tempore me illum alloqui uelle, aufugit, & uerba mea euitauit, quæ tamen aliàs libenter audire uidetur; & profectò illi dicturus eram: Hercules Illustrissime occasionem habes te reddendi immortalem: at posteaquam ipse sponte omnipotentis DEI manu ductus, & propria sibi, ac innata pietate, Manfroni uita affines suos donauit, mihi dixit: Verebar ne de Manfrono me alloquereris, iccirco quantum licuit, euitauit, ne ullam me alloquendi occasionem nanciscereris, priusquam id fecissem, quod mète conceperam, & ad quod peragendum clemens DEVS inuitauerat. Ipse igitur sponte, & non ab uxore, uel ab alio oratus, ut fecit Augustus, Manfrono pepercit. SE. Tamen, & Augustus ipse Casto Patauino pepercit, qui in publico & pleno conuiuio proclamauit, neque uotum sibi, neque animum deesse consodiendi eum. BRAS. Non sum Augusti clementie detractaturus, sed, neq; illam cum Illustrissimi Principis nostri pietate comparabo, quoniam Patauinus ille uerbis tantum usus est, & forte ebrius, Manfronus uerò præter temeraria uerba, omnem commouit lapidem, ut optatum finem assequeretur. SE. Tamen & de Casare legitur, quòd sepe his pepercerit, qui in illum conspirauerunt. BRAS. Id fuit antequam esset Cæsar. i. Imperator, & Imperij habenas manu temperaret: at multos persecutus est, si Suetonij uerbis mentem adhibebimus;

C iij bebimus;

bebimus; qui ubi loquitur de lenitate, & mansuetudine eius in ulciscendo iniurias sibi illatas, ait, Philemonem à manu seruum, qui necem suam per uenenum inimicis promiserat, non grauius, quam simplici morte puniuit. en qua lenitate, & mansuetudine in hunc usus fit? S E. Non est profectò lenitati, ac clementie Illustrissimi Ducis nostri comparanda: tamen & David Rex à Nabal Carmelo manus abstinuit, homine uno omnium ingratisimo, quem interimere cum uniuersa familia decreuerat, placatus precibus Abigail Nabal uxoris. B R A S. Ad rem nostram quid hoc facit? nã præter conspirationem, quam in Illustrissimi Ducis nostri uitam fecerat Manfronus, etiã ingratisimus fuit. scimus, & præterea Augustum maledicentiae iniurias passum esse, et pepercisse fontibus: non Iunius Nouatus asperrimam de illo epistolam in uulgus edidit sub nomine Agrippæ iuuenis, quem tamen nisi pusillo puniuit exilio: & quidam accusabat Aemilium Elianum Cordubensem, quod male opinari de Cesare solebat: Augustus ad accusatorem conuersus, commotusq; similia dixit: Sciat Aelianus, & me linguam habere. nec quicquã ultra, aut statim, aut postea inquisiuit. Tiberio quoq; de eadem re sedulo uiolentius apud se per epistolam conquerenti, ita rescripsit: Aetati tuae mi Tiberi noli in hac re indulgere, & nimium indignanti quæquam esse, qui de me loquatur male: satis est enim si hoc habeamus, ne quis nobis malefacere possit. sed hæc in presentiarum, quæ ad rem nihil faciunt, præterminamus. S E. Legi diuersorum uirorum de hac Illustrissimi Ducis pietate disticha, tetrasicha, atq; exasticha. B R A S. Et pulcherrima (ut arbitror) legisli,

sed



sed nulla fortè uidiſti celebriora carmina, quàm illa,  
 quæ in Illuſtriſſimi Ducis epigrammate ſcripta ſunt.  
 S E. De ſeiſo igitur Illuſtriſſimus Dux epigramma  
 confecit. B R A S. Audias quonam modo, & quàm  
 raptim illud fecerit. Aderant in ueteri caſtro Illuſtris  
 Galeacius Gonzaga, & alij nonnulli, qui hanc Illuſtriſſi-  
 ſimi Ducis clementiam carminibus toto ingenij nixu  
 laudare conabantur, & unusquiſq; ut ſua ſerebat Mu-  
 ſa, Vergiliano ſtylo hæc efficere contendebat: Illuſtriſſi-  
 ſimus Dux forte fortuna ex inſperato ſuperuenit,  
 hoſq; interrogauit, Quid nã agerèt, quod cum illi aper-  
 uiſſent, ait, Niſi uideretur iactantia, & quod ſordidiſ-  
 ſimum eſt, meipſum uelle laudare, hoc modo canen-  
 dum iudicarem.

Deeſt epigramma.

Ex his, qui aderant, unus carmina hæc, illo dictante,  
 perſcripſit, quæ à ſuauiſſimo ore ex tempore prodie-  
 re. Omnes demq; epigramma hoc ſumma cum admi-  
 ratione legerunt: quod deinceps Illuſtriſſimus Dux in  
 multas diſcidit partes, & in terram iecit. tunc ego  
 fruſtula collegi, ſimulq; non ſine labore aptaui, & ita  
 aptaui, ut reſcribere potuerim: nam mihi conueniens  
 uifum nõ fuit (eſi contra ipſius Principis decreta ſit)  
 tam elegans, tamq; argutũ epigramma deperire, præ-  
 fertim cum à tam celebri uiro, ex tempore, & maxi-  
 ma cum facilitate prodierit. S E. Non poſſum non  
 uehementer admirari de Illuſtriſſimo Principe, qui

C iiij cum

cum sit in tot regendis populis, in administrando iurē, & reddendo, tam occupatus, tam egregiē constandi carminibus mentem adhibere possit. sed hæc missa faciamus, & in nostrum diuertamus pharmacopolium. BRAS. Ego aliō sum profecturus. SE. Oro te, atq; obsecro per DEVM immortalem, ut nunc omnia examinemus composita medicamenta, quæ in pilularum forma non præbentur: nam cras Venetias iturus sum. BRAS. Et si fortè hora tardior uideatur, quàm huic negotio conueniret, tamē, ut tibi morem geram, ad pharmacopolium properemus. SE. Non possum citatiori gressu incedere. BRAS. In hoc angulo sedeamus, ne nos alijs, & alij nobis impedimēto sint: & erimus propè capsam librariam, è qua facillè unumquemq; librum accipere poterimus. SE. Vt lubet: tu uerò in hoc hemicyclo sedeto. BRAS. Est seniorum sedes, mihi enim cui crassæ insunt nates, satis erit supra scannum sedere: ueruntamen optarem, ne absq; ordine incederemus, te omnia in unum, ueluti cumulum, scripsisse composita medicamenta, quæ aluē ducunt, tamen non sunt pilulæ, neque trochisci. SE. Id iam effeci: nam & Electuaria, & Pulueres, & Confectiones, quæ cathartica sunt, in hunc ordinem statui. BRAS. Non ab re fecisti, nam nec oleum, nec impensam perdidisti. uerum ut id præsciatur, de quo tractaturi sumus: sciendum est, illa solum esse apud Galenum,  $\nu\alpha\theta\rho\alpha\gamma\mu\alpha$ , id est, purgantia medicamenta, quæ uel unum humorem attrahunt, uel duos, uel omnes sua qualitate peccantes: nam Galenus in pleto-  
ra, id est, æquali omnium humorum abundantia, uenæ sectione semper utitur: in cacochimia uerò, quæ est  
unius



unius humoris, uel plurium abundantia, purgante utitur medicamento: quod uim habeat uel unum, uel plures humores attrahendi; ut exigit affectus. Nos uerò non latet, apud recentes multa esse alia medicamentorum genera, quæ humorem sibi proprium non educunt; ut purgantia faciunt: sed uel uentrem leniunt, uel comprimunt, uel lubricum reddunt, uel abstergunt: at nos in presentiarum de solis agemus cathartico, nisi unum, uel alterum ex his receperimus; ne de ipsis seorsum agere simus coacti. Veruntamen ne hisce in præludij tempore conteratur; primum lege medicamentum à te in tua scheda descriptum. S E. Primum est electuarium de dactylis. B R A S. Quis est huius electuarij author? S E. Mesue. B R A S. Iam noui, id est, quod diaphinicon uocatur. S E. Inmo nonnulli sunt medici, quibus si dicatur, electuarium de dactylis quid sit, non intelligunt: si uerò dicatur, diaphinicon: statim intelligunt. B R A S. Fortè nomē, sed nō rem ipsam: inmo ne nomen quidem, cum potius dicere deberent, diaphœnicon. sed hæc missa faciamus, & compositionem ipsam cōtemplemur; quam huc asferre ne pigeat. S E. Hæc est quæ sequitur.

℞. Dactylorū cheiron infusorum in aceto tribus diebus, & tribus noctibus, partes centum:

Penidiorum saphiri,	partes L.
Amygdalarum mundatarū,	partes xxx.
Turbith,	partes xxxv.
Scamonij,	partes xii.
Gingiberis,	
Piperis longi,	
Foliorū Rutæ siccorū,	

Cinamomi,

Cinnamomi,  
 Maceros,  
 Ligni Aloës,  
 Anisorum,  
 Daucorum,  
 Fœniculorum,  
 Galangæ.

Singulorū partes ij.  
 & semis.

Misce, & fiat omnium contritio bonæ, & confice cam melle despumato: est. n. medicina mirabilis: dosis eius est ab Aur. ij. usq; ad septē. hæc Mesue: qui ait esse cōpositionem filij Zexar, quæ confert compositis febribus, & diutinis, & colicæ, & dolori uentris, & humoribus crudis, & frigorigibus; et est solutiuum facili, & conueniens. BRAS. Quis dicit esse facili solutiuum? SE. Mesue. BRAS. Ego in infinitis nau seam commouere expertus sum, & tormina facere: licet torminibus aduersari dicatur. SE. Cur nau seam mouet? BRAS. Turbith prætermitto, atque scamonium, arbitror & palmulas in aceto maceratas nau seam commouere: tu; ex palmulis aceto maceratis bolum edito nau seam inducere percipies: immo solus harum palmularum ita conditarum odor mihi nau seã commouet. fortè Mesue intelligit esse quoad educationem facili medicamentum. At hoc ad rem ipsam nihil, nos diaphœniconis compositionem contēplemur. SE. Ut lubet. Tamen id te non lateat, aliquos esse, qui simplicium quantitatem à Mesues quantitate uariant, & suis in pharmacopolijs compositionē ita præparatam seruāt. BRAS. Quo nã modo hi simplicii quantitatem uariant, ut nihil prætermittatur, quin à nobis cōtēplatū sit? SE. Ita compositionē parant, ut sequitur.

℞. Da=



℞. Dactylorum infusorū in aceto tribus diebus, & tribus noctibus,	drach. l.
Penidiorum,	drach. xxv.
Amygdalarū mūdatarum,	drach. xv.
Turbith,	drach. xviii.
Scamonij,	drach. xi.
Gingiberis,	
Piperis longi,	
Foliorū Rutæ siccorū,	
Cinnamomi,	
Maceris,	} Singulorum drach. i. gra. xv.
Ligni Aloës.	
Anisicum,	
Foeniculi,	
Daucorum,	
Galange.	

Omnia optimè conterantur, & conficiatur cum melle  
despumato quantum sufficit. BRAS. Reperitur &  
diuersitas in simplicium quantitate, in descriptione  
quadam, in libello paruo, qui circumfertur, posita, Dis-  
pensarium Nicolai inscripto. SE. Quæ nam est  
eiusmodi compositio? BRAS. Hæc, quæ sequitur.

℞. Dactylorum cheiron infusorum in aceto tribus diebus, & tribus noctibus, unc. vi. drach. ii.	
Penidiorum sacchari i. quæ sit facta ex zucca- ro dissoluto in aqua decoctionis hordei, unc. iii. drach. i.	
Amygdalarum mundatarum,	drach. xv.
Turbith,	unc. ii. s.
Scamonij,	drach. vi.
Gingiberis,	

Gingiberis,  
 Piperis longi,  
 Foliorū Rutæ siccorū,  
 Cinnamomi,  
 Maceris,  
 Ligni Aloës,  
 Anisorum,  
 Fœniculorum,  
 Daucorum,  
 Galangæ.

Singulorum drach. i.  
 gra. xv.

Fiat omnium trituration bona, et conficiatur cum melle despumato. Hæc sunt illius libelli uerba. S E. Non multum differt à præscripta compositione. B R A S. Tamen aliqua est differentia; quia superius posita cõpositio ponit turbith drach. xviii. hæc uerò ponit uiginti; & in præsentis compositione sex scamonij drachmæ ponuntur, in præadducta uerò undecim. S E. Mira res est de scamonij quantitate; nam Mesues contextus diuersissimi sunt: quippe nonnulli legunt: drach. xi. alij. xii. alij. xxii. alij. xxxiii. at quem ego contextum sequi debeam, ignoro: præsertim cum hæc compositio à diuersis pharmacopolis cum diuersa scamonij quantitate seruetur. B R A S. Possunt ex hoc medici non modicè errare: sed ut iudicare possim, debent esse drachmæ xi. uel xii. multosq; legimus antiquos Mesues codices, qui habebant duodecim: repetiturq; hæc serè compositio in ea parte à Mesue, in qua agit de turbith, & duodecim scamonij drachmas ponit: adde, si plures essent, quòd turbith excederent, & ita plus bilis educeretur, quàm pituitæ; cum tamè huius compositionis intentio sit, pituitam primò educere,



educere, deinde bilem: quamuis apud Nicolaum Alexandrinum, medicum antiquissimum, diaphœnicon legitur, cuius uis est, bilē solam educere. SE. Et quam est huius Nicolai compositio? BRAS. Hęc, quę sequitur: quam dicit pectus, stomachum, pulmonem, hepar, & lienē optimē sine molestia purgare; & colorem bonum decoloratis reddere.

℞. Carnium dactylorum,	drach. c.	
Diagridij,	} Singulorum drach.	
Gingiberis,		} xxviii.
Cinnamomi,	} Singulorum drach.	
Galangę,		} xviii. scrup. ii.
Spicę,		
Garyophyllorum	} xviii.	
Zeduarie,		} viii.
Glycyrrhizę,		
Moschi.		

Mellis, quod sufficit, detur in modum auellane post prandium, & post cenam. SE. Nullum ingreditur catharticum medicamentum cōpositionem hanc præter scamonium, quod bilem solam educit. BRAS. Iccirco dicebamus esse diaphœniconis genus, quod bilē solū educit, & diuersum à Mesues Diaphœnicōe, quod in usu publico seruatur: tamen & illud Nicolai, ob palmulas, diaphœnicon uocatur. SE. Quem humorem educunt palmulę? BRAS. Nullum profusus, immo potius uim habent abstrigentem: nam Galenus in viii. De simplicium medi. facul. cum dixit palmam arborem ex omni sui parte esse adstrictorię facultatis, de eius fructu dicit: At fructus eius, & maximē dulcis, non paucam obtinet caliditatem: ceterum cum

cum edendo sit, multo est usui, non tantum foris impositus, ubi quid roborare, & desiccare, contrahere, stipare, densareq; consilium est; sed tanquam cibum sumptus cum alijs, & per se. S E. Putabam ego uentrem potius emollire, quam stipare. B R A S. Galenum autem diuisi, qui oppositum dicit, quam opinaueras: nam stipat, & adstringit: immo & dum manditur, adstringentem naturam habere percipitur. S E. Arbitrabar prius compositionem hanc ingredi, quando uentrem emolliret. B R A S. At illam ingreditur, quando adstringit, & cathartici medicamenti superfluum uim remouet. S E. Omnia igitur adstringentia uim auferunt medicamenti? B R A S. Omnia profecto; sed inter adstringentia aliqua sunt, quæ simul roborant membra; & hæc cathartici miscentur: ut sunt gummi genera, et picium, & dactylorum, & ipsa cotonea medicamenti miscetur, ut eorum uim reprimant: & ideo à Galeno in 111. De simp. medi. facul. cap. xv. dicitur: Sic autem non pauca purgantium medicamentorum cum carne mali cotonei exhibita, gustu quidem fallunt; at effectu solo quod ualeant, commostrant. Dantur uero quedam cum palmulæ carne, alia autem cum myrtis, alia cum mastichechia, aut alio quopiam eorum, quæ cum grata sunt stomacho, tamen adstringunt; quod scilicet gustu fallant, simulq; stomachum minus euertant. S E. Galenus igitur putaret mistas esse huic compositioni palmulas, ut gustum fallerent, & turbit, atq; scamonium non sentirentur. B R A S. Hæc proculdubio causa est, cur miscantur: addeq; ut pulueres facilius cum re glutinosa miscerentur, ne deciderent, ut estlinisq; inhaerent, ac uentriculo. S E. Tamen non uidentur



videntur stomacho gratae palmulae. BRAS. Immo sunt gratae, nisi essent miscae aceto, & in eodem maceratae: nam tunc, cum gustantur, nauseam inducere uidentur: tamē cum uentriculū ingrediuntur, illum potius roborant: immo à Galeno dicitur in VII. De simpli. medicament. facult. misceri facultatibus hepaticis, & stomachicis, seu intro sumantur, seu foris admouentur. & Dioscorides ait, succurrere stomacho laborantibus. Stomacho igitur conferunt palmulae, & adstringunt: immo adde, idē conferre, quia adstringūt, & calefaciunt. SE. Quomodo calefaciunt, si adstringūt? praesertim cum à Galeno in II. de alimentorum facultatibus dicatur: Clarum autē est, dulces calidiores, adstringētes frigidiores succo praeditas esse. BRAS. Palmulae omnes simpliciter calidae sunt, & quae adstringunt, calidam etiam habent partem: nam & dulces sunt; Galeno in praecitato libro dicente: Nulla ergo ex illis est, quae non dulce quoddam, & adstringens respiciat: omnes ergo & dulces sunt, & adstringentes. at Galenus comparationem fecit dulcium palmularū, & non habentiū adstrictionem, cū adstringentibus: & dulces inquit esse calidiores, scilicet adstringētibus: et adstringentes esse frigidiores dulcibus. unde & in VIII. De simp. medi. facult. scriptum reliquit (de palmae fructu uerba faciēs) At fructus eius, & maximē dulcis, non paucam obtinet caliditatem. SE. Quomodo Galenus dulcem contra adstringentem distinxit, cum in libro à te citato, faciat totam arborem, & germen, & cerebrum, & palmulam adstringentis facultatis? BRAS. Adstringunt prorsus omnes palmulae, sed dulciores minus: & ob hoc adstringere non dicuntur:

tur: quæ uerò magis adstringunt, sunt minus dulces.  
 S E. Ex quo igitur palmularum genere in hac compositione accipiendū est? uideretur ex austeris, quia maiorem habent adstrictionem, & effrenitanti medicamento magis obuiare possunt. BRAS. Cur non ex dulcioribus, si gustum (ut Galenus ait) fallere uelimus? Dicimus ergo adstringentes potius accipiendas esse, quia ad id, ob quod medicamento miscentur, duo requiruntur, & quod sit stomacho gratum, & quòd adstringat; palmulæ ratione, qua dulces sunt, stomacho gratæ, & gustum fallunt; ratione etiam, qua adstringunt, stomacho conueniunt: quoniã (ut Galenus inquit in 11. De Alimē. facult.) Dulcis succus alēdo est: austerus uerò stomacho conuenit; addeq; uim fortium medicamentorum reprimere: itaq; austere recipiendæ sunt in hoc medicamento palmulæ, quæ si abessent, illorū loco dulces accipere oporteret. Galenus in 11. De Alimen. facult. tres uidetur palmularum differentias enumerare: nam aliquas ait esse siccas, & adstringentes, ut Aegyptiæ sunt; alias molles, humidas, & dulces, quales sunt Cariotæ uocate, quæ in Hierichonte, quod Syriæ Palestinae oppidum est, nascuntur: inter has duas species, reliquas ponit medias: ex unoquoq; genere fieri potest diaphœmicon: tamen si ex adstringentiori genere fiat, non est tam efficax medicamentum: quoniam ex hac adstrictione uim remittit, estq; magis gratum stomacho; quanquam genus hoc medicamenti stomacho gratum nunquam uiderimus, rarissimiq; sunt, quibus nauseam non commoueat, & præcipua causa est, infusio palmularum in acetū: à Galenoq; in 11. De Aliment. facult. dicitur, morsionis quoque sensum, os uentri-  
 culi,



culi, quod & stomachum uocant, inducunt. SE. Cur in acetum infundunt palmulæ? BRAS. Nullus est, qui causam referat. quãdoque arbitratus sum id fieri, ne medicamentum putresceret: sed hoc effici non potest, quia mel compositionem ingreditur, & Zuccarum in pendijs, & multi pulueres; quæ omnia præseruare possunt, ne medicamenta putrescant, & impedire, ne palmulæ corrumpantur: immo absq; infusione in acetum diaphœniconem fieri iussimus, & egregiè soluit, diuq; perdurat; fortè quia calidæ sunt palmulæ, aceto macerantur, ut earum remittatur caliditas. Galenus etenim in primo De simpl. med. facul. cap. xxviii. inquit: acetum ingredi medicamenta, quia frigidum: antiqui uerò dicebant, quia calidum; uel ut magis adstringant, aceto imbibuntur; uel ut um turbith magis offuscent, ac deprimant; uel aceto macerantur, ut id ab ipsis remoueat, quod Galenus palmulas habere dicit in 11. De Aliment. facult. nempè dicit, capitis dolorem facere, iecur obstruere, ac lienem: aceto macerata, ad caput minimè effumant: iccirco capitis dolorem non faciunt; neque aceto imbibita, iecur, uel lienem obstruere possunt: uel idè aceto macerantur, ut attenuent, ac incidant pituitosam materiam, quam medicamentum attrahere debent; uel cum huiuscemodi medicamenti officium sit à remotioribus corporis partibus attrahere, aceto miscentur, ut penetrare faciat: id enim esse aceti officium: ut in primo De simp. medic. facult. edocemur cap. xxxv. SE. Vnde asportantur palmulæ? BRAS. Ex Aegypto Venetias: nam apud Damascum infinitæ propemodum uiuent palmulæ. SE. Ergo adstringentes erunt, quia à Galeno dicitur

D citur

citur in 11. De Aliment. facult. Aegyptiacas esse sic-  
 cas, & adstringentes. BRAS. Adjunt quidem in  
 Aegypto adstringentes, sed neque desunt dulces: tamē  
 & in Italia habent palmulae Romae, & Neapoli: sed  
 non habetur tanta quantitas, quae Italiae, neque mini-  
 mae parti satisfacere possit. non mature mirum in mo-  
 dum adstringunt. SE. Palmulae ergo in hac compo-  
 sitione non ponuntur, ut educant? BRAS. Minimē  
 omnium SE. Cur ergo uocatur compositio de pal-  
 mulis, & denominatio à palmulis fit, cum in compositio-  
 nis medicamentis ab eo denominationem fieri consue-  
 tum sit, quod actionem facere dicitur? BRAS. In  
 hac compositione denominatio ab eo, quod copiosius  
 ingreditur, deducta est: nempe à palmulis, & nō ab eo,  
 quod educunt: quamuis nonnulli uocarint & hoc medi-  
 camentum diaturbith: tamen non est illud diaturbith,  
 de quo acturi sumus. A dactylorum igitur molle huic  
 compositioni nomen inditum est, & non ab eo, quod  
 est basis, & intentio medicamenti. SE. Quae nam  
 est huius medicamenti intentio, & quis nam scopus?  
 BRAS. Pituitam primò educere, & copiose; secun-  
 dō bilem, & remissiū: iccirco basis erit turbith, cuius  
 officium est, pituitam educere, quam euacuare medici  
 intendunt hoc medicamento. SE. Cur tandiu aceto  
 macerantur palmulae? BRAS. Quia corpus ha-  
 bent densum, & crassum, ut penitus imbibantur, &  
 uniuersim madescant; tamen in secūdo die uidimus esse  
 aceto imbibitas, & tertio die uehementiū maceratae  
 sunt. SE. Quid significat id uocabulū, CHEIRON?  
 BRAS. Multa à diuersis dicuntur recentibus, quae  
 cum nullius sint momenti, praetermittimus; ut quod sit  
 Regio



Regio, quæ uocetur Cheiron: & dicamus, palmulas ab  
 authoribus probari, quæ ruffæ sunt, rubræq;: quoniam  
 & eo colore maturitatem præ se ferunt, κίρρον uerò  
 ruffum significat. Et ideo legèdum est palmularum cir  
 rharum, id est ruffarū, lutearum uel, hoc est, probè ma  
 turarum: quamuis nonnulli probent immaturas: quæ  
 etsi magis adstringant, compositioni non conueniunt;  
 quoniam nõ indigemus tanta adstrictione; sed illa satis  
 est, quæ in maturis reperitur. Ita uerò intelligi oportet,  
 testis est Serapio cap. LXIX. qui ait; Cheiron  
 esse speciem dactylorum, citrinum colorem habentium,  
 & rubrum. SE. Id igitur nomen colorem signifi  
 cat? BRAS. Id prorsus significat; & hic color ille  
 est, qui palmularum perfectionem præ se fert. SE.  
 Cur tantam palmularum copiam recepit Mesue?  
 BRAS. Vt catharticoꝝ uis remitteretur: nam  
 in hanc compositionem præter cathartica, & mel,  
 ingrediuntur partes ducentæ quinque aliarum rerum:  
 cathartica uerò, sunt partes quadraginta septem; quæ  
 si melle confici debeant, & simul misceantur catharti  
 ca cæteris, non poterit minus sumi mellis, quam par  
 tes trecentæ. SE. Sunt aliqui in Italia pharmaco  
 pole, qui tres mellis libras ponunt, alij quatuor.  
 BRAS. Illos probò, qui tres libras accipiunt, quan  
 do per partes drachmas intelligunt; sed tutius est tre  
 centas mellis partes accipere, quomodocunque pars  
 intelligatur: uel sint drachmæ, uel uncia, uel libra: &  
 idè mel cum his, quæ corrigunt, & palmulis, erunt  
 quingentæ quinque partes: si uerò addamus turbith tri  
 ginta quinque partes, & duodecim scamonij, erunt quin  
 gentæ quinquaginta duæ partes: si quot uicibus trigin  
 D ij taquinque

taquinque ingredientur hunc numerum cōtemplemur, turbith quantitatem habebimus, quæ ex tota compositione unamquamq; ingreditur partem: intelligimus uerò per partes, drachmas; tunc dicimus in singulam cōpositionis drachma ingredi decimam quintam partem unius drachmæ turbith, & dimidiam unius partis, & dimidium dimidij, & modicum quid ultra, ut in quacumq; huius compositionis drachma turbith grana circiter quatuor ingredientur: iccirco ab auris tribus usq; ad septem, Mesue præbet: sunt uerò tres auri, quatuor drachmæ, & semis; ut ferè scrupulus turbith duobus granis minus hanc compositionis portionem ingrediatur. SE. Ob hanc fortè causam à Mesue dictum est, esse medicinam securitatis, quia pauca cathartorum quantitas multa molli eorum, quæ cathartica corrigunt, mista est. BRAS. Quicquid à Mesue dicatur, quod experiētia ostendit, id semper, & apertè fatebor: tamen nō uideo tantam securitatē, sed mira inducit tormina sumentibus, & nauseas. SE. Fortè est, quia illi pharmacopole, ut ab authore monentur, mel non expumant. BRAS. Mel non expumatum tormina prorsus inferre solet: at illi essent improbi pharmacopole, qui mel haud expumarent. SE. Immo nonnulli sunt, qui accipiunt secundarium mel, & aliqui mellacium? BRAS. Hi neque fures, neque carnifices appellandi sunt; sed grassatores, quos statim suspendere opus esset; & nulli etiam supplici parcendum: fortè hoc est, quod quorundam pharmacopolorum diaphoenicon dolores parit intensos, & quorundam minimè intensos. SE. Si mellis loco zucarum recipiatur, nonne facilius euaderet medicamentum?



camentum? BRAS. Ex zuccaro fieri iussi tormi-  
na, & ipsum facit; sed non tam uehementia, ut cum ex  
melle confectum est. SE. At zuccarum non ita edu-  
cit, sicuti mel. BRAS. Paulominus. SE. Quid in-  
telligis per penidia saphira? BRAS. Id quod &  
omnes alij intelligūt, scilicet penidia ipsa ex infusio-  
ne zuccari in aqua hordei confecta. SE. Alij intel-  
ligunt penidia ex exquisito zuccaro confecta, & non  
quidem in aqua hordei, sed & in alia qualibet aqua.  
BRAS. Hoc ad rem nihil facit, uel sit in aqua hor-  
dei infusum zuccarum, uel in alia aqua: nam quod ad  
compositionem attinet, & est penidiorum lentor, quo-  
uis cathartorum refrangitur, & ne effrenitent, ueluti  
à manu retinētur: nonnullosq; Mesues codices uidi-  
mus, qui simpliciter scriptum habent, penidiorum; &  
nulla adest determinatio: neque omnes Mesues codices  
legunt saphiri, sed aliqui habēt saphiri, aliqui sifari, tu  
simpliciter penidia intelligito quomodocūq; confecta,  
modò sint ex exquisito zuccaro. SE. Dic (nisi mole-  
stum sit) quomodo dissolues penidia, quoniam si totam  
compositionem ingrediuntur, haud dissoluentur: si in  
puluerem redigere tentaueris, frustra laborabis; nempe  
ad hoc inepta sunt: si ex melle dissolui iubeas, in-  
tentum minime assequeris; nam simul non iungentur.  
BRAS. Ego in primis iubeo, ut parumper attenuen-  
tur, deinde aqua aliqua dissoluantur; ut aqua hordei,  
uel aqua hyssopi: cum erunt dissoluti, quod facile effi-  
cietur, toti compositioni misceantur: nam ita plane in  
unum corpus cum tota compositione coalescent. SE.  
Cum mūda amygdalæ compositionem hanc ingredian-  
tur, quo ingenio mundari debent? & quæ nam amyg-

D iij dalæ

dalæ sumēdæ sunt, dulces, an amaræ? BRAS. Ne-  
scio an me derideas, cum modum emundandi amygdala-  
las petis. SE. Non derideo prorsus, neq; talis es,  
ut derisione sis dignus: at quia multis modis à cortici-  
bus liberari possunt amygdalæ, illas in primis torrefa-  
ciendo, deinde cultro extima pellicula liberando, uel  
cultro abradendo, etiam si torrefactæ non sint: uel illas  
in aqua ebulliendo, & postea à corticibus liberando:  
ignoro an aliquis modus compositioni sit aptior.

BRAS. Probè dicis: sed communis modus is est, qui  
probatur; in aqua amygdalas ebulliendo, postea illas  
pollice, ac indice constringendo; tunc enim extra corti-  
cem prosiliunt. An uerò amaræ accipiendæ sint, an dul-  
ces; & si multi amaras sumendas esse censuerint, quia  
magis medicatæ sunt, quàm dulces, tamen nos ecotræ-  
rio, dulces accipiendas iudicamus: quia amygdalæ com-  
positionem hanc ingrediuntur, ut illam gustui aptiorē  
reddant, & emolliant, et sua etiam pinguedine cathar-  
ticorum uenenositati obstant: addeq; cum simplici-  
ter apud authores sit amygdalarum mentio, de dulci-  
bus semper intelligere oportere: & Mesue ipse nō pau-  
cis in locis, cum de amygdalis amaris uerba facturus  
est, nunquam simpliciter dicit amygdalas, sed semper  
cum hac adiectione, amaras: Serapio præterea suo in  
Antidotario, Diaphœniconis compositionem referens,  
dulces amygdalas numerat: idem facit Auicēna in uno  
ex suis diaphœniconibus, quinto canone. SE. Sunt ne  
horum authorum compositiones eadem cum illa Me-  
sues? BRAS. Neque eadem, neq; similes; solo con-  
ueniunt nomine, & quia omnes recipiunt palmulas  
aceto maceratas; inmo Serapio ait, acetum uim for-  
tis; &



tis; & Mesue, acetum uini esse oportere: nam posset accipi alicuius fructus, qui acetosus esset succus, uel aqua acetosa, nisi expressissent acetum ex uno esse oportere. Ad rem igitur, sine amygdala dulces excorticatæ, & ex his sint, quas Ambrosianas uocant, quæ ex Apulia ad nos feruntur, nam omnibus præstant, & pingue habent, quo cathartici uenenositati obsistant: et ad caput effumantes, uim cathartici secum ducunt. nempe illos nunquam probauerim, qui dicunt ob palmas, & penidia prohiberi, ne uis purgatoria ad caput, & ad omnes partes accedat: immo palmule caput ferunt, & amygdale, & turbith uim, ac scamoniæ illuc ferunt; quia ex his uis ipsa non aufertur cathartici: sed ab ipsis solum remouetur, quod effrenitare non possint, neq; membris obsint. S E. Quod genus turbith sumendum iubes? an illud album, quod in præsentiarum ex monte Gargano, id est, Sæcli Angeli, Ferrariam aduehitur? B R A S. Cum hæc sit Mesues cõpositio, turbith genus accipiendū est, quod illas habeat notas, quæ à Mesue referuntur; scilicet esse albū, uacūū, arundinosum, & gummosum, & eius cortex sit cineritius, & planus, & sit recens, & facillè frangibilis. S E. Quid est apud antiquos turbith? B R A S. illa in mentem recole, quæ in simplicium examine de turbith à nobis scripta sunt, ne de eadem re bis loqui cogamur. S E. Ita faciam. Sed quantam scamoniæ quantitatem iuberes tu apponi, cum aliqui undecim partes, aliqui xii. aliqui xxii. aliqui xxiiii. accipiant? B R A S. Semper illius fui sententiæ, ut duodecim tantum drachmæ apponerentur, ne medicamentum aquæ uel fortè uehementius bilem duceret, quàm pituitam; cum

D iiij medicam.

medicamenti intentio sit, pituitam educendi & crassam, & crudam: si uerò adesset tanta scamonij copia, bilem equæ saltem educeret; quia scamonium est magis actiuum, & facilius in actum ducitur, quàm turbitib; bilisq; ipsa facilius educitur, quàm pituita: propterea duodecim scamonij drachmas nunquam excederem: tamen multi pharmacopole & Ferrarie, & alibi, potissimūq; in Hetruria, et Gallia **xxii.** scamonij in compositione imponūt partes, aliqui **xxiiii.** maxima uerò Mesues contextuum pars legit, duodecim drachmas: & quia undecim accipiunt partes (ut arbitror) totius compositionis, dimidium faciunt: & ex illis sunt, qui in tota compositione **xxii.** partes recipiunt. at tu mihi dicit: accipis ne purum in compositione scamonium? **SE.** Non quidem purum, sed digridium uocatum. i. scamonium in cotoneo malo percoctū. **BRAS.** Ob quid hoc accipis, cum author simpliciter scamonium dicat? **SE.** Ita consuetum est, & uidetur Mesues regula semper scamonij loco digridium esse accipiendum, quod est præparatum scamonium. **BRAS.** In hac compositione nulla indiget præparatione, quia & palmule ipsæ, & amygdale, & aromatici pulueres scamonium præparant: iccirco scamonium simpliciter accipiendum est; quia in ipsa compositione præparatur: notatoq; quando medicamentum educens pituitam compositionem aliquam ingreditur, in qua omnia superet cathartica, si catharticum bilem educens in minori sit copia, catharticum educēs bilem illud adiuuare, quod pituitam educit; reliqua, quæ compositionem ingrediuntur, & cathartica non sunt, ad corrigenda medicamenta, & roborandum uentriculū

appo=



apponuntur; ut sunt calida semina, & aromata: nam ut Hippoc. ait in secūdo de ratione uictus, in morbis acutis: cathartici sunt miscenda odorata calida, quæ præter id, quod uenenosam uim adimūt, medicamento etiã os uentriculi roborant, nec sinunt, ut à cathartico offendatur. S E. Ambiguitas quedam hîc contingere possit: an palmulæ sint ponderandæ, antequam sint in acetum infusæ; an posteaquam fuerint infusæ, & aceto madefactæ? B R A S. Nos semper intelleximus accipiendas esse palmulas aceto nō madefactas ad partes centū, & postea aceto madescant. S E. Tamen author dicit: Recipe palmularum in aceto infusarum partes centum. B R A S. Etsi author ita dicere uideatur, tamen intelligendus est, accipiendas esse centum palmularum partes, & in acetum infundendas; uel quæ iam sint infusæ, sed prius fuerint libra mensuratæ: nam si simul cum aceto ponderarentur, maior adesset aceti copia, quàm palmularum; præsertim cum per tres dies, & totidem noctes fuerint infusæ: adde & Serapionem, & Auicennam, postquam palmulas ponderarunt, in infusionē posuisse. S E. In tuam sententiam manibus, pedibusq; procumbo; tamen alias infusas palmulas ad partes centum accipiebam, magno tamen errore: at deinceps non errabo. B R A S. Si ita feceris, non errabis. S E. Quæ nam est huius electuarij, uel (ut cōmuni loquar more) electuarij quantitas exhibenda? B R A S. Mesue dicit à tribus auris usq; ad septem: aurus uerò drachmam unam & semis capit: iccirco ipse præbet à quatuor drachmis & semis usq; ad decem drachmas & semis; tamen ego nunquã excessi quantitatem octo drachmarum, frequentissimè uerò

uerò exhibui sex drachmas cum infusione senæ, et mirificè eduxit. S E. Quibus conuenit affectibus hoc medicamentum? BRAS. A Mesue iam dictum est, ualere ad febres complexas, & diuturnas, & ad dolorem uentriculi, & coli intestini, & ad frigiditas harum partium intemperies, & clementer purgare, & tunc humorem crudum, crassum, & bilem. S E. Ergo ubicunq; pituita, & bilis purgatione indiguerimus, hoc medicamento uti poterimus? BRAS. Non solù purganda pituita conuenit, sed & pro quocunq; purganda pituita genere; tamen ad bilem purgandam simpliciter non ualet, sed præcipuè datur ob superabundantem pituitam; cum qua si bilis portio adfuerit, & ipsa una expurgatur, tamen ad solam purgandam bilem nunquam præberetur, neque etiam præberi conueniret, si bilis afflueret, & pituita esset in minori copia. S E. Ergo tunc solum præbendum est, cum pituita principaliter purgatione indiget? BRAS. Ita esse constat. ad frigiditas præterea confert podagras, & ad frigiditas thoracis, ac capitis affectus. S E. Hæc de diaphoenicone sint satis: optarè ut post ipsum diacatholiconem contemplaremur. BRAS. Ut lubet. S E. Ita etiam in meo indice secundum locum occupat.

## DIACATHOLICON.

BRAS. Cuius authoris est eiusmodi compositio? S E. Nicolai Præpositi, apud ipsum inuenitur, & nō apud alium quempiam, nisi acceperit à Nicolao. BRAS. Modum referto, quo compositionem ipsam parare soleas. S E. Hic est, qui sequitur.

℞. Senæ



Rz. Senæ benè mundatæ,  
 Cassiæ fistulæ mundæ, } Singulorum unc. viii.  
 Tamarindorum,  
 Rhabarbari electi,  
 Violarum, } Singulorum unc. iiii.  
 Polypodij,  
 Anisorum, }

Quatuor seminum frigidorū mundatorū unc. i.

Hæc sunt, quæ compositionem ingrediuntur. Ab authore autē ita fieri iubetur. Iterum inquit: Accipe libram unam Polypodij quercini, et modicum tere, et in aqua diutissimè decoque, & ex colatura syrupum facito cū libris octo zuccari, in quadam uero colaturæ parte cassiam, & tamarindos distemperato, & in fine decoctionis syrupi imposito; deinde electuarium conficito, cæteros addendo pulueres. BRAS. Hæc est ad uerbum Nicolai descriptio, & illa à pharmacopolis confici debet. SE. Adsunt ergo & aliæ descriptiones?

BRAS. Adsunt, & non pauca; variq; sunt pharmacopole, qui eandem penitus compositionem parēt.

SE. Cur hoc nomine insignita est diacatholicon?

BRAS. Quoniā uniuerso corpori conuenit, & omnes educit humores: nempe ob senam, & polypodium, atra bilis, & ichores educuntur; ob cassiam, & tamarindos bilis flaua; ob reubarbarum bilis crassa, quæ pituitam mistam habet. author illam simpliciter catholicon nominauit. i. uniuersale medicamentū. SE. Est ne uehemens medicamentum? BRAS. Immo lenissimum: ego libenter ipsum meis ægris propino, & inter lenientia connumero, misceoq; uehementioribus plerunque medicamentis, ut eo magis blandi euadant.

SE. Quæ

SE. Quē humorē præcipuē educit? BRAS. Atram bilem primò, secundò bilem flauam, & denique pituitam. huius medicamenti usus tutissimus est; idem de diaphœnicone non dixi. SE. In qua sumitur copia? BRAS. Author dicit à semiuncia præberi usque ad integram unciam; at nos in aliquibus exhibuimus usq; ad duodecim drachmas; estq; benedictum medicamentum, quod tam in febre correptis, quàm à febre liberis, cōuenit. à Nicolao notatur in acutis febribus præberi, & in peracutis; quoniam uentrem mollit, digerit, ac roborat. lienis affectibus, ac iecoris conuenit, ob suā facilitatē; eò libenter utor: idq; de eo dici potest, quod de agarico ab antiquis dictum est: esse medicinam familiæ, quoniam uniuerso conuenit corpori, & omnes educit cum facilitate humores. SE. Quid intelligendum est per Senam probè mundatam? BRAS. Cùm apud authores simpliciter Sena nominatur, folliculi simul, & folia intelligēda sunt, quæ tūc erūt probè mundata, cùm ab eis erunt ablata festuca, & foliorum, ac folliculorum pediculi; solaq; erunt folia, ac folliculi derelicti: & per castiam fistulā mundatam intelligito quicquid boni cōtinetur in siliqua, præter seminam, & parietes intermedios, hoc est illud, quod aliàs flos castiæ nūcupatur. SE. Sunt'ne alij ex antiquioribus ante Nicolau, qui hanc compositionem tradiderint? BRAS. Nicolaus alter Alexandrinus, medicus uetustissimus, in suo de compositione medicamentorum, secundum locos, libro, cap. 442. similem ferè compositionem refert. SE. Fortè Nicolaus Præpositus ab hoc Alexandrino accepit. BRAS. Proculdubio; quia Nicolai Præpositi tempore huius Alexandrini



drini codex extabat. SE. Ni tibi graue sit, huius Alexandrini compositionem enarrato. BRAS. Graue non est, neq; laborem subterfugio: en compositio:

R. Senæ mundatæ,	}	Singulorum unc. III.
Cassie,		
Tamarindorum,		
Rhabarbari,		
Polypodij,	}	Singulorum unc. I.
Anisforum,		
Glycirrhizæ,		
Seminum communiū,		
Candi,		
Penidij,		
Syrei, quod sufficit: in quos ponantur:		
Polypodij,		unc. VIII.
Fœniculi,		unc. III.

In libris tribus aquæ, et syrupizentur cum scrupulis duobus sacchari. SE. Quid facient scrupuli duo sacchari in hac compositione? BRAS. Arbitror mendosum esse codicem, nec esse legendum scrupulos: immo neq; uncias, ut nonnulli emendarunt, sed potius libras, ut duæ sint zuccari libræ, quæ si accipiantur, magis conueniunt, quàm accipere octo libras zuccari, ut facit Nicolaus Præpositus: quoniã nimium uideatur. at huc Nicolaum Præpositum ab Alexandrino accepisse, huius capituli initium planè ostendit: nã Præpositus suã compositionem inscribit Catholicon, sicuti & Alexandrinus inscripsit Catholicon; & sicuti Præpositus dicit: Valet hepaticis, spleneticis, datur in acutis, et per acutis, quia mollificat, digerit, & confortat. si modò referamus, quæ dicit Alexandrinus, statim deprehendere

dere licebit. Præpositum ab Alexadrino accepisse: ita  
 uerò dicit, opitulatur hepaticis, & splenicis, datur in  
 acutis, & peracutis, quia molificat, digerit, confortat.  
 S E. Profectò hæc uerba eadem sunt, cum illa Præ-  
 positi, nec dubito ab Alexandrino accepisse: sed miror,  
 cur in medicamentorum quantitate differant: nam cas-  
 sie, & senæ rhabarbarum æquat. B R A S. Ne ad-  
 miratione afficiaris: quoniam multa alia sunt in qui-  
 bus differunt, sed ignoratur in quibus codicibus adsit  
 error. propterea cum ego millicies Præpositi composi-  
 tionem expertus sim, quam tu superius adduxisti, sem-  
 per illam sequar: tamen & hæc Alexandrini composi-  
 tione nonnunquam utar: & experiar, an ita mitis sit,  
 ut illa Præpositi, & humores illos tam facile educat:  
 adest in Alexadrini compositione Syreum, quod in illa  
 Præpositi abest: dic uerò quid intelligis per id, quod di-  
 xisti, penidiorum candi? S E. Penidia intelligo ex  
 zuccaro cando confecta. B R A S. At nos duo in-  
 telligimus, & penidia per se, et zuccarum candum per  
 se, sicuti in Alexandrini compositione constat: accipiē-  
 dum uero zuccarum candum rosatum, uel quodcunque  
 habeatur. S E. Miror, cur hic penidia ponantur, cū  
 nullum adsit in hac cōpositione catharticum, quod re-  
 moratione indigeat. B R A S. Ponūtur etiam, ut dul-  
 coretur compositio, & thoraci conueniat. S E. Cū  
 de pulueribus, quæ compositiones ingrediuntur dispu-  
 tatio sit, an crasso modo conteri debeant, an in tenuis-  
 simum puluerem leuigari; quid hac in re sentis tu?  
 B R A S. Id sentio, quod omnes fatentur: catharti-  
 corum pulueres non esse tenuissimè leuigandos: tamen  
 ut diu in uentriculo commorentur, tum ne eorum uis  
 facile



facile euaneſcat, tum ne intrinſecis membris inhereat,  
 & illis obſint: tamen eſt diligentiffime leuigarentur,  
 cum tot in rebus miſceantur, neceſſarium non eſſet, ut  
 breui à uentriculo deſcenderent, neque intrinſecis mem-  
 bris inhereant, & eorum uis ſeruabitur: immo ſolum  
 adefi in hac compoſitione rhabarbarum, quod in pul-  
 uerem reduci debet: rhabarbarũ uerò eſt tenuiffime pul-  
 uerizandum: rerum uerò non catharticarum pulueres  
 ſubtiliffime teri debent, & leuigari. S E. Intelligis  
 ne per quatuor ſemina frigida, illa, quæ paſſim ita uo-  
 cãtur? B R A S. Illa inquam intelligo, ſed in hac cõ-  
 poſitione ſunt accipienda maiora, quæ ſunt cucumeris  
 ſemina, cucurbitæ, peponis, & citruli. S E. Cur mi-  
 nora accipienda non ſunt, quæ ſunt endiuæ ſemina, la-  
 eluæ, portulacæ, & ſcariolæ? B R A S. Quia ab au-  
 thore dicitur ſemina frigida mundata: at minora ſe-  
 mina non mundantur, ſed in puluerem rediguntur: ma-  
 iora uerò mundantur. tu autem dicito, quo ordine com-  
 poſitionẽ hanc in electuarij formam ducis? S E. Re-  
 bus præparatis, quæ compoſitionem ingredientur ac-  
 cipio, iterum polypodij lib. i. & craſſiuſculẽ tero, &  
 in aqua diutiſſimẽ coquo. B R A S. Quantum tem-  
 poris in hac diutiſſima coctione conſumis: & quantam  
 aquæ quantitatem pro polypodio ebulliendo accipis?  
 S E. Rẽ ſine pòdere, ut mihi uidetur ago: nam polypo-  
 dium in ollam pono, deinde tantum aquæ ſuperinge-  
 ro, quantum ſuperet polypodium, & ad dimidium ebul-  
 lire facio, non autẽ ad tertias, hoc quàm eſt diutiſſimẽ  
 coquere. B R A S. Pharmacopolæ omnes in huius  
 aquæ quantitate ſunt tam diuerſi, ut nullus ſit modus:  
 iccirco ſex aquæ libras accipito, in quibus polypo-  
 dium

dium crassiusculè contritum, & compressum, ad dimidias ebulliat, postea percolato, & sex huius decoctionis uncias seruato, in decoctionis reliquo octo zuccari libras (ut authorem sequamur) dissoluito, postea ebullire facito, quousque ad syrapi consistentiam peruentum sit: interim castiam, & tamarindos in sex reseruatis decoctionis uncijs, uel pluribus dissoluito, & cum zuccaro ad syrapi formam iam redacto commisceto: in fine autem decoctionis zuccari, quando ad syrapi formam peruenire debebat, pulueres commiscendi erant: itaq; omnibus simul mistis, electuarium effectum est, quo ad usus uti poterimus. S E. Deinceps ita faciam, & ut arbitror, non errabo. B R A S. De hoc iam satis medicamento: alia referas, quæ Ferrariæ in usu sunt cathartica. S E. Id statim efficiam. si quid de Nicolai Alexandrini compositione sentias, prius enarrabis. B R A S. Illam probo. S E. At quomodo confici potest, & debet, cum ait syrei, quod sufficit, in quo ponantur uncia octo polypodij, foeniculi uncia tres in libris tribus aquæ, & syrapi zentur cum scrupulis duobus sacchari: polypodium, & foeniculos in syreum ponit, quod sufficit; postea inquit, hæc esse ponenda in tribus aquæ libris, neq; exprimit, an ebullire debeât, an minime. B R A S. Res sano modo intelligēda est: octo ille polypodij uncia, et tres foeniculi sunt in syreo, id est sapa infundēda, quantum satis est pro infusione, et sapa supernatet; postea addendæ sunt tres aquæ libræ, & ad dimidias ebulliendum, postea percolandum, & huic liquori duæ zuccari libræ miscantur, et ebulliant ad syrapi consistentiā: nam error est dicere, cum duabus drachmis zuccari Alexandrini.

codicem



codicem emendato, & drachmarum loco, libras legito:  
 & prædictæ decoctionis portionē referuato, pro cas-  
 sia dissoluēda, & tamarindis: quæ dissoluta, syrupo ad-  
 dantur: cui in decoctionis sine sint additi pulueres: &  
 ita confectum erit medicamentum. S E. Iam meus  
 quieuit animus, nunc refero schedam, ut quid sequa-  
 tur referre possim. Sequitur Elefscoph.

## ELESOPH.

BRAS. Author is, qui Auicēnam interpretatus est,  
 ubi adest Elefscoph, uertit Episcopi: nescimus an in idio-  
 mate Arabico Elefscoph, episcopū significet: tanē aliæ  
 sunt etiam cōpositiones, quæ sub Episcopi nomine cir-  
 cunferūtur: nos uerò de hac sola loquamur, quæ in usu  
 est, & potissimum in rotulis conformata: nam rarus est  
 in electuarij forma eius usus. S E. Tamen ego illum  
 in electuarij forma confeci semper, & seruaui. at quis  
 est huius compositionis author? BRAS. Apud Me-  
 suē reperitur, qui illam ita refert, ac si sub illo nomi-  
 ne sit nota cōpositio: at tu compositionem illam as-  
 fert, quam in pharmacopolijs paratam seruas. S E.  
 Hæc est quæ sequitur.

℞. Scammonij,	}	Singulorum drach.	
Turbith,		VI.	
Garyophyllorum,	}	Singulorum drach.	
Cinnamomi,			II. s.
Gingiberis,			
Emblicorum,			
Nucis muscæ,			
Polypodij,			
Zuccari albi,	unc. VI.		
	E	Confice	

Confice cum melle despumato.

BRAS. Hoc est Elefscoph, quod per totam paratur  
 Italiam; quod nonnulli ausi sunt absq; melle parare,  
 cum sex illis zuccari uncijs: at non probè successit:  
 nam fuisset opus, si ex zuccaro solo absq; melle confi-  
 ci debuisset, zuccarum ad minus esse libram unam, &  
 uncia nouem; sed cum despumato melle tres mellis un-  
 cias pro singula puluerizatarum rerum uncia ponen-  
 do satis erit, fitq; proba electuarij forma. S E. Ergo  
 uigintiocto mellis uncia accipi debent? B R A S.  
 Tot uncia accipi non debent, quia zuccari pōdus mel  
 augere non est opus; sed dempto zuccaro, quot erunt  
 puluerum uncia, tot tres uncia mellis accipiēda erūt,  
 ut probè electuarium conficiatur. S E. Quando in  
 rotulas illud parocut frequentius fit) pro singula pul-  
 uerum drachma unciam probi zuccari addo, & in  
 rotulas redigo, sed quantā tu ex rotulis copiam præ-  
 bes? B R A S. Mesue ab auris duobus ad tres, id est à  
 tribus drachmis ad quatuor usque & semis exhibet: at  
 hæc est quantitas, quam ego præbeo puellulis, neq; un-  
 quam illis præbeo minorem quantitatē drachmis qua-  
 tuor: nos uerò communiter præbemus sex drachmas,  
 in strictiorem aluum habentibus octo, in rusticis, He-  
 brais, & religiosis decē, nā à medico nihil\* effectuare  
 est, nisi Hebraei, rustici, & religiosi optimè excreue-  
 rint: nunquam uerò hanc quantitatē excessimus, neq;  
 ut excederetur suaderemus. S E. Nonnulli has rotu-  
 las, uel placentas reprobant; quoniam aliquando nihil,  
 aliquando nimis purgant, quia scilicet aliquando urun-  
 tur, uel species non probè inuicē miscentur. B R A S.  
 Hoc absurdum est, quia pulueres uiri non possunt: nam  
 zuccarum



zuccarum serè frigidum est, cùm species illi miscen-  
 tur: & si species probè mixtæ non sint, hic est pharma-  
 copolarum error; qui si haud errabunt, semper eodem  
 modo educet, modo simplicia, quæ compositionem in-  
 grediuntur, bona sint: immo hoc idem de puluerû mi-  
 stura in omni alio potest contingere medicamento, nisi  
 pharmacopola diligenter miscuerit. sed quam mellis  
 quantitatem recipit tuû Elefcophi? S E. Vncias sex.  
 BRAS. Secundum canones septem esse debent.  
 S E. Posthac septem accipiam. at quomodo hoc Epi-  
 scopi electuarium ab illo Auicennæ differt? BRAS.  
 Quia Auicenna præter superius enarrata, cardamo-  
 mum addit. S E. Quibus confert affectibus hæc com-  
 positio. BRAS. Mesue ait, excrementa, & status à  
 toto corpore educere: propterea dolorem colicum, &  
 hypochondriorum, & iuncturarum leuare, renes, uesi-  
 cãq; expurgare, & uenerem excitare: adde tu humo-  
 res omnes educere, & absq; dolore: nempe turbith ra-  
 tione pituitam educit: & ratione scamonij bilem, & ra-  
 tione polypodij, atram bilem: tamen nos compositioni  
 nuper addidimus lapidis lazuli præparati, drach. ʒ. i.  
 cinnamomumq; multiplicauimus, & alia aromata, me-  
 dicamentumq; tale reddidimus, ut humores omnes à  
 remotis etiam corporis partibus egregiè educat. bis in  
 anno hoc medicamento Illustrissimum Herculem huius  
 nominis secundum, et Ducem Feraria quartum, expur-  
 gamus: itaque incolumè seruamus, quem DEVS opti-  
 mus ad Nestoreos annos feliciter, summaq; cum tran-  
 quillitate perducatur. Hoc etiam rotularum genere, lapi-  
 dem lazuli recipiente, in his utimur, qui Gallico mor-  
 bo affecti sunt, & humores à iuncturis uehemèter edu-  
 E ij cit;

cit; podagricis confert, ac chiragricis; quanquã nos peculiare rotulas habeamus, placentulas'ue, quibus in podagricis, & arthrite utimur, et mirificè conferunt. SE. Sunt ne illæ, quas Brassaulicas à tuo cognomine nuncupasti? BRAS. Illæ inquam. SE. Erit mihi pergratum compositionem audire. BRAS. Ut tibi re gratam faciam. hæc est, quæ sequitur:

## CONFECTIO BRASSAVLICA.

℞. Turbith,	drach. II.	
Gummi Arabici,		} Singulorum gra. II.
Picis hispanæ,		
Diagridij,	drach. V. gra. XV.	
Diatragacanthi,	drach. IIII.	
Mannæ. s. thuris,	gra. XV.	
Hermodactylorum,	drach. I.	
Succi cotoneorum,	drach. IIII.	
Gingiberis,	drach. I.	
Succi rosarum,	gra. XVI.	
Mucilaginis carthami,	drach. I.	
Scordei,	gra. X.	
Zuccari,	unc. IIII.	
Misce, & fiat confectio.		

SE. Videtur esse mira compositio. BRAS. Immo mirifica: nam absq; ulla nausea, absq; ulla molestia, absq; ullo dolore unumquodq; humoris genus à penitioribus nostri corporis partibus educit: si recenter sit facta, semiuncia satis est ad euacuationem perficiendam; si requieta sit, sex drachmæ præberi debent: his, qui aluum ualde adstrictam habent, uncia non excedatur. experiaris parumper, nunquam sumpsisli suauius,



uius, clementius' ue medicamentū, quāuis cathartica ue hemētiora recipiat. S E. Experiar, & lubenti animo. at ad Elefcoph cōpositionē redeūtes; Debeo'ne turbitū & scāmonū preparata, an preparanda recipere?

BRAS. Cum aromata, & non pauca huic compositioni misceantur (dicāt alij, quod lubet) hæc absq; præparatione accipienda esse censemus: tamen etsi quispiam his præparatis utatur, ne digladietis: tunc uerò nō tam probè educit. hæc nostra sit de hac re sentētia, cūm hæc uehementiora cathartica rebus alijs miscetur, & ab authoribus non dicitur, quōd sint accipiēda preparata; preparanda minimè esse: at si seorsum acciperentur, & non misca alijs, tunc corrigenda esse monemus. S E. Hæc de Elefcoph satis uidemur.

BRAS. Præsertim si illud addideris, Zuccarum non esse puluerizandum, ne maiorem mellis copiam accipere cogemur, quā sint uncie septem: nunc modò compositiones, quæ sequuntur prosequaris. S E. Confectio Hamech sequitur.

## CONFECTIO HAMECH.

BRAS. Electuarium hoc à Mesue descriptum reperitur: et duæ sunt sub hoc nomine compositiones, quarum una in usu est, alia minimè. S E. Ego primum electuarium conficio. BRAS. Compositionem referato. S E. En:

℞. Myrobolanorū citrinorū, drach. iiii.

Cebulorum,	} Singulorum unc. ii.
Nigrorum,	
Rhabarbari electi,	

E iij Agarici,

Agarici,	}	Singulorum drach.	
Colocyntidis,			XVIII.
Polypodij,			
Abfintij			
Hafca,	}	Singulorum unc. I. in alio drach. VI.	
Senæ,			
Violarum,		drach. XV.	
Epithimi,		unc. II.	
Aniforum,	}	Singulorū drach. VI.	
Rof. rub.			
Fœniculorum,			
Succi funiterræ,		lib. I.	
Prunorum,		nu. LX.	
Passularum mūdatarū,		unc. VI.	

Misce, & omnia infundantur in aquam casei, & ponantur in uas utreatum stricti orificij, & eius os obturetur, & dimittatur per dies quinque: demum bulliant ebullitione una, postmodum colētur, & in hac colatura dissoluantur:

Castiæ fistulæ mundæ,	unc. III.
Tamarindorum,	unc. V.
Tereniabin,	unc. II.

Fricentur manibus, & colentur, & proiciatur super illud:

Zuccari boni albi,	lib. I. f.
Scanimonij,	unc. I. f.

Et coquantur usq; dum habeant spissitudinem mellis: deinde puluerizentur supra illud.

Myrobalanorū citrinorū,	}	Singulorū unc. I.
Chebulorum,		
Indorum,		

Belliricorum



Belliricorum,	}	Singulorum drach.
Embllicorum,		
Rhubarbari electi,		
Seminis fumiterræ,	}	III.
Anisorum,		
Spicæ,	}	Singulorum drach.
		II.

Dosis eius est, drach. 11. usq; ad aur. 11. hæc Mesue.  
 BRAS. Multa sunt in hac compositione consideranda, ambigenda, & enucleanda. SE. Et quæ nã hæc?  
 BRAS. En in citata descriptione adest absinthij, hascæ. i. thymi, fenæ, singulorum unc. 1. & in alio, drach. VI. quam lectionem sequaris? SE. Harum herbarum unciam semper accepi. BRAS. Tamẽ anti qui ferẽ omnes Mesues codices legunt, drach. VI. Re center uerò impressi codices legunt, unc. 1. SE. Quos ergo sequi oportet? BRAS. Non magni momenti res est, uel uncia accipiatur, uel sex drachmæ: tamen cùm & antiquos codices legerimus in quibus scriptum est uncia una, probarem unam unciam in cõ positione accipere, cùm tamen neq; illos despexerim, qui drach. VI. acceperint. SE. in Mesue libro, quẽ habeo, qui inter antiquos numerari potest, in hac compositione absunt hæc, quæ sequuntur: Violarum, drach. xv. Epithimi, unc. 11. Anisor. ros. Fœniculi, singulorũ drach. VI. BRAS. Legimus & nos antiquos codices, in quibus aberant: tamen nos probamus, ut recipienda sint: quoniam ad totam compositionem partim corrigendo, partim adiuuando ad adustos humores educendos, proficua sunt. SE. Ego nũquam hæc in ipsa compositione prætermisi. BRAS. Neq; præter rationem fecisti. sed dic quantum seri quantitatem ac=

E iiij cipsis,

cipis, ut hæc commodè infundantur? & cuius anima-  
 lis serum accipis? S E. Bubulum semper accipi.  
 B R A S. Caprinum potius accipiendū est; uel asininū;  
 quæ si haberi non poterunt, tunc bubulum accipere  
 opus erit: scitoq; non esse expectandum, ut acridinem  
 acquirat, uel ab eo est auferenda in sereno. S E. De  
 feri autem imponendi quantitate regulam profectò  
 non habeo, sed tantum feri accipio, quantum satis ui-  
 detur, ut omnia probè imbiantur; postea tantam su-  
 peraddo quantitatem, quanta modicum ebullire possit,  
 castiãq; dissoluere, & tamarindos, & alia omnia reci-  
 pere, quæ integram compositionem ingrediuntur, hæcq;  
 feri quantitatem ad oculum accipio. B R A S. Mihi  
 uerò placeret, ut fixam, statutamq; quantitatem habe-  
 res: id autem facile fiet, si illa, quæ infundi debent, con-  
 siderentur, & in unum omnium pondus colligatur.  
 quod est lib. 11. unc. v 111. & drachma una. Adestq;  
 una succi funiterræ librazicirco serum quinque li-  
 bras æquet, ut omnia probè infundatur, ut postea ebul-  
 litione una, id est modicè ebullire possit, & aliqua por-  
 tio pro dissoluenda castia, tamarindis, & mama super-  
 sit. S E. Ergo per quinque dies hæc infusa in feri la-  
 ctis caprini lib. v. dimittam. B R A S. Et sexto die  
 iubeto, ut modicè ebulliant, postea quæ in infusione  
 sunt, manibus persfricentur, & exprimantur, ac colen-  
 tur. S E. Possent ne per fixum qualum percolari?  
 B R A S. Minime, immo sit rarissimum linteum: post-  
 quam percolatum est, castiam accipito, illamq; cum tan-  
 ta feri percolati portione dissoluito, quanta ad illam  
 dissoluendam sit satis. S E. Ad dissoluendam castiam  
 quanta feri copia indigebimus? B R A S. Non est  
 opus



opus in presentiarum feri quantitatem nouisse, quia castia paulatim dissoluitur, semper aliquid feri instillando quoad uideatur dissoluta: tamen ne tibi uidear quantitatem, quæ adhiberi possit, ignorare, duodecim feri uncia plus minus ad castiam dissoluendam, quæ hanc compositionem ingreditur, erunt satis: itidem & tamarindi, & manna tanta eiusdem feri copia dissoluentur, quanta satis erit: deinceps hæc simul mista, manibus probè fricentur, & cum tota infusione misceantur, & libra una & semis zuccari, & scamonij uncia una & semis addantur: mox ad mellis crassitudinem percoquantur. SE. Scamonium percoqui quidem debet, ut corrigatur, sed ob quam causam castia, tamarindi, & manna percoqui debent, cum ex ebullitione uires amittant? BRAS. Reperiuntur & pharmacopole, qui in sine cum myrobalanis scamonium impo-  
nunt, & ebullire non sinunt: at mihi semper placuit, ut ebullirent: iubeoq; ut crasso modo cõtundantur, quo ampliorem decoctionem facere possint: tamen castiam, tamarindos, & mannam ebullire non sinerem; iccirco castiam in decem, uel duodecim feri percolati uncias dissoluatur, & tamarindi in tribus, mannaq; in duabus: postea decoctione ex reliquo sero, & scamoneo ad mellis spissitudinem facta, tria illa dissoluta, & per rarum linteum excolata, compositioni misceantur, & denique myrobalani addantur: tamen experientia uidimus, si hæc omnia ad mellis spissitudinẽ unà ebullierint, diutius seruari medicamentum: denique cùm coctio perfecta est, pulueres addantur. SE. Nõ magnificis er-  
go, an hæc simul coquantur, an minimè, modò simul misceantur? BRAS. Equidem non magnificatio: tamen  
probo

probo potius, ut unâ ebulliant, quo diutius compositio seruari possit: scitoq; ex ebullitione non admodum remitti casæ uires, tamarindorum & manna: quoniam ex ipsis dissoluitur illud, quod habent mistum seri, & non ipsorum uires. S E. Ad quam summam præbetur hoc medicamentum? BRAS. Mesue præbet à duabus drachmis usq; ad tres: at nos nonnunquam sex drachmas præbuimus, & leuiter eduxit; præbuimus & octo, & mediocriter eduxit; præbuimus & decem, & egregie eduxit. Est in hac compositione ualde parcus Mesue; nam duæ, uel tres drachmæ, aut nihil, aut modicè educunt. S E. Quibus confert affectibus hæc Hamech uocata confectio, licet electuarium sit? BRAS. Conuenire omni passioni, quæ sit ex bile, & pituita falsa, ait author, & proprie quæ est sicuti impetigo, & scabies, & lepra, & cancer corrodens, & similia; & adit, esse medicinam sublimis iuuamenti. Nos uerò fatemur moderatè, & absq; ullo dolore omnes educere humores tam biliosos, & atrabiles, quàm pituitosos: ubi omnes euacuandi sunt, conuenire fatemur: conuenit, & in cachexia, & in confusis febribus, ac complicatis, & in longis omnibus morbis, & quanto magis sunt commisti morbi, & diuersarum naturarum, tanto magis conuenit: immo in simplici ex uno humore affectu, ubi alij non peccant, præbendum non est. S E. Possit nūcupari catholicum medicamentū. BRAS. Neq; immeritò, & potius quàm diacatholicum; quamquam, & hoc sit leuissimum medicamentum, quo ægros meos frequenter euacuo. at tempus uidetur, alia contemplari medicamenta. S E. Electuarium de Psyllio post Hamech sedem habet.

ELECTVA-



## ELECTVARIVM DE PSYLLIO.

BRAS. Et à Mesue refertur hoc medicamentum, cuius authorem nonnulli Hamech fuisse censuerunt, quoniam in compositionis calce à Mesue scriptum est, Hamech uocasse hanc compositionem electuarium trochiscorum: ueruntamen uel referatur in Hamech authorem, uel in alium quemlibet, ad rem ipsam nihil facit, quia compositionem contemplari proposuimus; & ne diutius intentum nostrum differatur, illam adducito. S. E. Hæc est, quam paro:

℞. Succi buglossæ domesticæ,	} Coctorū & destu-		
Syluestris,		} matorum singu-	
Endiuia,			} lorum lib. ij.
Apij,			
Et projice super ipsos cuscute,	} Singulorū unc. s.		
Anisorum,			
Folliculorum senæ,			
Capil. uen.		M. i.	
Succi fumiterræ,		unc. iiii.	
Affari,	drach. iiii.		
Spicæ,	drach. ii.		

Misce, & dimitte per diem, ac noctē, & bulliant ebullitione una, & projiciantur super ea,  
 Violarū uiridium, uel siccarum, drach. iiii.  
 Epithimi, unc. ii.

Misce, & bulliant adhuc alia ebullitione parua, dein de coletur, & exprimatur, & in colatura ponantur, Psyllij, unc. iiii. & dimittantur per diem, ac noctem, omni hora: tamen agitando spatula, deinde exprimitur uiscositas eius tota, postea accipiantur huius uiscositatis,

sitatis lib. iiii. & proijciantur super eam zuccari  
 alibi, lib. ii. & semis, & coquatur cum facilitate;  
 postquam coctū fuerit, proijciatur super ipsum pulve-  
 ris trochiscorum, diarhodon. & de spodio, & raved sce-  
 ni, singulorum, unc. i. trochiscorum de berberis, unc. s.  
 Sunt aliqui, qui addunt aceti lib. i. s. aliqui addunt  
 succi uolarum, lib. i. & est medicamen nobile. hęc  
 Mesue. BRAS. Sylvestris buglossi loco quid acci-  
 pis? SE. Pro domestico buglossō, borraginem uulgō  
 dictum accipio, & pro sylvestri, herbam illam, quę uul-  
 gō Buglossa uocatur, quam aliās apud Dioscoridē Cir-  
 sion esse docuisti. BRAS. Neque ab re forte facis:  
 tamen adest & sylvestris borrago, quę in campis spor-  
 te nascitur, & borraginis folia habet, hirsutiora tamē,  
 hanc arbitror esse sylvestrem buglossam, quam curare  
 debes, ut habeas: at neq; tuum reprehendo institutum,  
 quando sylvestris hęc non habetur. SE. Deben' ne  
 succi simul coqui, et expumari, an seorsum? BRAS.  
 Quid hactenus fecisti? SE. Succos omnes simul mi-  
 scebam, postea coquebam & expumabam. BRAS.  
 Hoc quidem fieri potest, sed tutius est, atque exquisi-  
 tius unumquemq; succum ebullire: & expumare; po-  
 stea simul miscere. SE. Quomodo miscenda sunt  
 cuscuta, anisa, folliculi senę, & reliqua his succis? an  
 cū sunt frigidi? BRAS. Minime: sed postquam  
 ebullierint, & misti fuerint, uel cū sunt simul misti,  
 & exprimuntur, hęc sunt statim succis addenda. Ve-  
 rū quia hęc succorum caliditatem remittunt: iccir-  
 co sunt igni applicandi succi cum his rebus mistis, &  
 sinendi sunt quoad ebullire inceperint: tuncq; ab igne  
 statim remoueri debent, & uas egregiē obturandum,  
 ne expi-



ne expirare possit. Itaque per uigntiquatuor horas macerentur; post hoc temporis spatium bulliant (ut inquit Mesue) ebullitione una, hoc est modicè bulliant; quia illa decoctionem longam non patiuntur: nam si ebullitio persueraret, eorum uires exinanirentur; uel fortè hæc parua ebullitio, & quæ semel fiat, fieri dicit, cum succis imponuntur; postea per diem & noctem dimittenda, neq; amplius hæc sola ebullienda. S E. Arbitror ita intelligendum esse authorè, ne tot ebullitiones multiplicentur. B R A S. Postea addentur uiolæ, & epithimum, & iterum modicè bulliant, quia uiolæ, & epithimum modicissimam, ferunt ebullitionem: nam ex ebullitione earum uires expirant. S E. Cur dicit uiolas recentes, uel siccas? B R A S. Quia illi uisum est uiolas omnino esse in hac compositione necessarias: at cum hyeme absint uirides uiolæ, tunc siccæ sumi debent. S E. Cur tantam accipit assari copiam? B R A S. Quantam'ne? S E. Vncias quatuor. B R A S. Mendosus est codex, & legi debet drachmas quatuor; etsi in multis codicibus falso legatur uncias quatuor; at si necessitatem ingrediendi assarum hanc compositionem consideremus, uidebimus tam magnam copiam non esse necessariam: quoniam magnam succorum copiam exhauriret: iccirco codicem tuum emendato, ut in assaro drachmas, & non uncias legat. S E. Fumiterræ succus debet'ne simpliciter accipi, an iubere, ut prius ebulliat? B R A S. Et ipse ebulliri debet, & expumari, antequam alijs commisceatur. S E. Cur statim cum alijs succis illum non enumerauit? B R A S. Fortè quia in minori copia. S E. Cum fuerint probè percolati succi post simplicium impositionem,

tionem, & paruas illas ebullitiones, estne integrum  
 Psylliū imponendum, an contusum? BRAS. Psyl-  
 lium semper mucillaginem facit, uel integrum sit, uel  
 contusum: tamen si contundatur, grana frangi non de-  
 bent, sed tantum contundi: nam hoc modo facilius ha-  
 betur mucillago. SE. Tamen Mesue ipse dicit, nun-  
 quam Psyllium contritum esse agris propinandum.  
 BRAS. Id uerum est, quando solum præbetur, &  
 incorrectum est, sed cum alijs mistum est rebus, tritum  
 propinandum præberi potest: scitoq; non esse Psyllium  
 in hac compositione assandum, quod aliàs assandum  
 admonuit Mesue. Psyllium igitur per uigintiquatuor  
 horarum spatium in expressos ponatur succos, & sin-  
 gula hora rudicula agitetur, ut exeat mucillago: ita  
 uerò in succos recipitur mucillago, ut succi omnes ui-  
 deantur effecti mucillago; postea uiscositas recepta, in  
 succo tota exprimatur, & ex hac uisiosiori parte (nā  
 nihil aliud est eius uiscositas accipere, quàm succos  
 accipere, in quibus adest uiscositas à Psyllio toties agi-  
 tandoeducta) & zuccaro albo, ac reliquis, ut ab au-  
 thore dicitur, electuarium conficito. Notaq; in hoc  
 loco à Mesue dici, scammonæ coctæ in pomo, & non  
 dici simpliciter scāmoneæ, quia uolebat hic uocatum  
 diagridium accipiendum esse, ebullireq; facit, ut adhuc  
 citiùs euadat scāmonium: cum ergo in compositioni-  
 bus simpliciter scriptum inuenies scāmonium, semper  
 non præparatum accipito: cum uerò scriptum inuenie-  
 ris scāmonium præparatum, uel in pomo coctum: tunc  
 præparato utitor. SE. Quid est coqui cum facili-  
 tate? BRAS. Est igne lento coqui, ne uehementer  
 effervescat, & exundet. SE. Quando coctum esse  
 cognos-



cognoscemus? BRAS. Cognoscemus, non quidem quando ad mellis consistentiam deuenit, quia ob glutinositatem cito huc peruenit, sed ad talem consistentiam deuenire opus est, ut superet quidem mellis consistentiam: tamē pulueres recipere possit. SE. Aliqui codices legūt. pulueris diarhodon: est ne puluis hic accipiendus? BRAS. Trochiscos potius legito, quia ab Hamech uocatur electuarium trochiscorum: iccirco opus est, multa trochiscorum genera recipiat. SE. Nonne trochiscos diarhodon Mesues recipere debeo? BRAS. Illos inquam: sed compositionem referto, ut an illi, sint percipiam. SE. En hæc est:

℞. Foliorū rosarū rubrarū,	aur. VI.
Glycyrrhizæ,	aur. III.
Spicæ aromaticæ,	aur. II.
Ligni Aloës,	aur. II.
Spodij,	aur. I.
Croci,	aur. S.
Mastiches,	drach. II.

Confice cum uino albo, & fiant trochisci, qui drachmā pondere æquent. BRAS. Hi sunt trochisci diarhodon, quibus uti debemus non solum in hoc electuario de Psyllio, sed et in alijs Mesues compositionibus, quas ingrediuntur trochisci diarhodon. secus est in Nicolai compositionibus, quia ipse habet aliam horum trochiscorum compositionem, quæ suas ingreditur compositiones, habeturq; alia apud Auicennam compositio de his trochiscis, quam refert quinto canone. at trochiscos de Spodio referto, qui & ipsi compositionem hanc ingrediuntur. SE. Hi sunt:

℞. Rosæ

℞. Rosarum rubrarum,	drach. xii.
Spodij,	drach. x.
Se. acetosæ,	drach. vi.
Se. Portulacæ,	
Coriadrorū infusorū in aceto, et torrefactorū	} Singulorum drach. ii. s.
Pulpæ sumach.	
Amili,	
Assä,	} Singulorū drach. ii.
Balaustiarum,	
Berberorum,	
Gummi Arabici assi,	drach. i. s.
Confice cum succo Agrestæ.	

BRAS. Sunt alij pharmacopola, qui alia utuntur trochiscorum de spodio compositione, quæ & ipsa à Mesue refertur. SE. Quam? BRAS. Hanc:

℞. Spodij,	drach. iiii.
Ros. rub.	drach. vii.
Se. Portulacæ,	} Singulorum drach. ii.
Succi Glycyrrhizæ,	

Confice cum mucillagine Psyllij, & fac trochiscos. SE. Quam compositionem ex his probas, nēpe illa deinceps utar in electuario de Psyllio? BRAS. Illam probō, quam tu adduxisti; & illa est, quæ electuarium de Psyllio ingredi debet, quam in secūdo loco describit Mesue. posset & illa accipi, quam primo descripsit loco; tamen potius probamus secundam; licet rari sint, qui illam parent; tu solus, ut arbitror, Ferrariam illam seruas; reliqui primam seruant. at quid accipis pro raved sceni? SE. Ego trochiscos de rhabbaro semper accipio. BRAS. Et quos de rhabbaro



barbaro accipis? SE. Illos Mesues, quorum hæc est descriptio:

R. Raved boni,	drach. x.
Rosarum,	drach. III.
Spica,	} Singulorum drach. i.
Anisorum,	
Rubra tinctorum,	
Se. Apij,	
Abstinij,	
Affari,	} drach. IIII.
Amygdalarum amararum,	
Misce, & fiant trochisci, aur. unius.	

BRAS. Author non dicit accipiendos esse trochiscos de raved seni, sed ait, & raved seni; at si intelligere uoluisset accipiendos esse trochiscos, sicuti copulare dixit, & de spodio, ita dixisset, & de raved seni, & non simpliciter, & raved seni: addeq; Mesuem distinguere compositiones de rhabarbaro ab illis de raved seni: nam facit pilulas de rhabarbaro distinctas à pilulis de raved seni: non facit autem trochiscos de raved seni, sed facit trochiscos de rhabarbaro: tamen nõ magnifacio, ut accipias trochiscos de rhabarbaro, an ipsum rhabarbarum optimũ: nempe raved seni est optimum, & electum rhabarbarum. at quam compositionem accipis trochiscorum de oxyacantha, uel ut Mesue dicit, de berberis? SE. Illam accipio, quæ à Mesue refertur, cuius descriptio hæc est:

R. Berberorũ. i. succi corũ,	} Singulorum drach.
Spodij,	
Succi Glycyrrhizæ,	
Semins Portulacæ,	} III.

F Roratum

Rororum,	drach.vi.
Seminis citruli,	drach. iiii. f.
Camphoræ,	drach. f.
Cōfice cum tereniabin.	

BRAS. Mihi summè placet, quòd hac utaris compositione, quæ est prima in Mesue, & exquisitior secunda: nonnulli tamen pharmacopole secundam seruant.

SE. Quæ nam est secunda? BRAS. Hæc:

℞. Berberorum,	drach. ii.
Spodij,	} Singulorum drach. i.
Xiloloës,	
Se. Acetosa,	
Mastiches,	
Gallie,	
Spice,	
Ros,	drach. v.
Gummi,	drach. iiii.

Cōfice cum aqua rosacea.

SE. Memini pharmacopolam illum, à quo hanc artem didici, compositionem hanc seruare, & ego cum adolescens essem, illam pluries meis manibus confeci.

BRAS. Neque improbanda est compositio. SE.

At ad electuariū de Psyllio redeūtes, dic in quanta copia præberi potest? BRAS. Mesue præbet à drachmis tribus, usque ad aur. tribus, id est usq; ad quatuor drachmas, & semis: at nos exhibuimus usque ad sex drachmas, & usque ad octo, & usque ad decem, & absque incommodo eduxit: tu nerò huic compositioni addis ne acetum, uel succum uiolarū? SE. Neq; acetum, neq; aliud addo. BRAS. Institutum tuum probo. SE. Ad quos conuenit affectus hoc electuariū?



rium? BRAS. Mesue dicit, flauam bilem educe-  
re: tamen subducit atram, & potissimum per bilis adu-  
sionem factam, confertq; difficultibus febribus, & uehe-  
mentibus, nam tertianis febribus, & ardentibus profi-  
cit: conuenitq; ad capitis dolorem, & ad uertiginem,  
quæ à biliosis fumis gignuntur, & iecoris calefactioni,  
ac renum, & icteritiæ confert: & est electuarium, quo  
medici frequentissime uti solebant, sed posteaquam sy-  
rupus rosatus solutiuus in usum uenit, hoc ab usu re-  
cessit: tamen in his, qui accipere possunt, potius electua-  
rium hoc præbeo, quàm syrupum rosatum solutiuum:  
nam electuarium hoc propriè bilem flauam educit, sed  
syrupus ros. solutiuus propriè educit ichores, licet de-  
inceps simul mista sint, & bilis, & nonnunquam pitui-  
ta, quam inuenit in uijs. SE. Cum de hoc electua-  
rio mihi satis dictum uideatur, electuarium de succo ro-  
sarum occurrit considerandum.

ELECTVARIVM DE SVCCO  
ROSARVM.

BRAS. Huius electuarij compositionem referto.

SE. Hæc est, quam paro:

℞. Zuccari,	}	Singulorum lib. i.
Succi ros.		unc. iiii.
Sandalorū alborum,	}	Singulorū drach. vi.
Citrinorum,		
Rubrorum,		
Spodij,		drach. iiii.
Diagridij,		drach. xii.
Camphoræ,		scrup. i.
Tempera ad modum electuarij cum syrupo facto		
	F ij	de eodem

de eodem zuccaro, & succo rosarum; detur cum aqua calida in mane ad modum castaneæ. BRAS. Hoc est electuarium de succo rosarum Nicolai. SE. Illud est, quod in maximo est usu, arbitrarij; nulli esse pharmacopolam, qui aliud parat, quam hoc. BRAS. Et si quis aliud pararet, non conueniret. ex ipso rosarum succo nomen habet, qui in magna copia compositionem ingreditur, & qui etiam uentrem soluit. SE. Quod nam spodium accipiendum est in hac compositione? an allud, quod ex cannis fit, ut omnes accipiunt pharmacopoles? BRAS. Ex cannis confectum spodium, uerum spodium non est, sed antispodium: cum uero in aliquibus authoribus spodium simpliciter reperitur, semper uerum spodium intelligere oportet, nisi addiderint, Cannæ spodium, uel dixerint, Antispodium. SE. Quomodo tu electuarium hoc confici iuberes? BRAS. Tu illud millies & composuisti, et componi iussisti, & à me componendi modum queris? SE. Id facio, ut forte aliquid noui addiscam. BRAS. En, rosas accipere iuberem recentes, & maturas. SE. Quæ nam sunt maturæ rosæ. BRAS. Illæ, quarum folia calicem perfecte exiere, & in circum expansæ sunt. SE. Nonnulli sunt qui ruberrimas accipiunt rosas: aberant ne? BRAS. Maxime, nam accipiendæ sunt communes rosæ odoratæ, & earum folia in mortario ponenda, ligneoq; pistillo contundenda, deinde in sacculum ita contusa imponenda, & torculari exprimentur, postea ex depuratori huius succi parte accipiantur, lib. i. & unc. iiii. & totidem zuccari, simulq; ad syrapi formam decoquantur, & hoc est, quod author dicebat temperandum cum syrupo facto de eodem



dem zuccaro, & succo rosarum: postea in hunc syrupum calidum pulueres inponantur, & si nimis molle sit, ad electuarij formam decoquatur: sin minus, ut est, dimittatur: sed pulueres egregiè cum syrupo misceto, ut ad minima simul iungantur. At si tibi deficeret hoc electuarium, quomodo illud conficeres tempore huiusmodi? S E. Rosarum succum per totum annum seruo ad hos usus, nempe expresso, & educto è rosis succo illum in uas arcti orificij inponi facto, quod uel utreum sit, uel uitreatum, uel stanneum, & oleum oliuarum, uel rosaceum supra pono. B R A S. Probè facis, scito autem singulis fere mensibus uas mutari debere: quoniam fecula quædam in fundo colligitur: quam si non abieris, neq; uas etiã moueto, ne sex succo misceatur, sed semper resideat, & cum succo uti uolueris, illum sensim extrahito, ne sex à fundo discedat: hocq; modo per annum seruari potest. S E. Et etiam per duos.

B R A S. Mihi potiùs arridet, ut singulis annis nouus fiat succus, & antiquus abijciatur, uel ad alios seruetur usus. S E. Quæ nam est huius electuarij dosis?

B R A S. Quatuor, sex, & usque ad octo drachmas præberi possunt. Nicolaus præbet ad molem castaneæ: at debet esse castanea magna, si quatuor drachmas saltem æquare debeat. S E. Quibus conuenit affectibus. B R A S. Bilem flauam egregiè educit, succi rosarum ratione, & præparati scâmonij, podagræ conuenit, atque chiragræ calidis: conualescentes ex æritudine quotidianarios, scilicet & tertianarios, purgat sine molestia, & malorum humorum reliquias potenter educit: breuiq; ad omnes ualet affectus, in quibus bilis flaua peccat, & in quibus ichores biliosi interse-

F iij runtur:

runtur: authores uerò dicunt ad podagram potissimè  
 cōuenire, & ad arthritim à materia calida, quia scam-  
 monium materias has euacuat; rosarumq; succus idem  
 facit: at cum siccitatem quandam habeat materierū  
 defluuū, ad mēbra cohibet: præbeturq; in calidis capi-  
 tis affectibus frequentissimè ad huius generis materiā  
 euacuandam. SE. Tormina inducit. BRAS.  
 Non uehementia. SE. Reperitur ne apud antiquos  
 eiusmodi compositio? BRAS. Immo, est apud Ni-  
 colaum Alexandrinum in suo Antidotario cap. 309.  
 ut manifestissimè deprehendi possit, Nicolaum Præpo-  
 situm ab Alexandrino accepisse. SE. Electuarium  
 rosatum post prædictum sequitur. BRAS. Neq; im-  
 meritò, cum & ipsum rosarum succum recipiat.

## ELECTVARIVM ROSATVM.

SE. Non est in usu, neq; ullus medicus illud unquam  
 indicit. BRAS. Seruari tamen debet pro aggre-  
 gatiuis pilulis, & de hermodactylis conficiēdis. nōnul-  
 li uocant ipsum electuarium laxatiuum, alij simplici-  
 ter electuarium solutiuum. SE. Non omnes pharma-  
 copolæ hoc seruant, sed cum eo indigent, utuntur ele-  
 ctuario de succo rosarum Nicolai. BRAS. Hic est  
 maximus error, quia opus est Mesues compositionem  
 accipere, quando ipse aliquas compositiones facit, &  
 illas ex alijs suis compositionibus conformat. SE.  
 Huius electuarij rosati compositionē refer. BRAS.  
 Hæc est, quæ sequitur:

℞: Succus rosarum completarum, lib. IIII.  
 Zuccari tabarzeth, lib. I. f.  
 Tereniabin. i. manne, unc. VI.

Scammo=



Scammonæ Antiochenæ, unc. i. s.

Omnia cum facilitate coquantur super ignem, qui sit  
sicuti candela, quoad habeat mellis spissitudinem, postea adde:

Trochiscorum de spodio, unc. i.

Galliæ, } Singulorum drach. ii.

Croci, }  
Trochiscorum de berberis, drach. iii.

Repone in uas uitreum.

SE. Ad quam copiam præberi potest? BRAS. Mesue præbet ad drachmas quinque: tamen ego præbui quandoq; sex. SE. Debet ne ingredi hoc electuarium scammonium, an diagridium? BRAS. Cùm author scammonium dicat, scammonium accipito, quod ebulliendo, & cum prædictis rebus mistum corrigitur; & si nonnulli illos reprehendant, qui scammonium accipiunt absq; præparatione: decipiuntur, & arbitratur, scammonium præberi non posse, nisi in pomo correctum; cùm tamen absurdum sit, quia ab antiquis non emendatum etiam præbebatur, quando scilicet in aliqua compositione mistum erat. SE. Ignis, quo coquitur, debet ne esse candela? BRAS. Probo modo intelligendus est Mesue, quòd scilicet ignis esse debeat modicus, uniformis, qui non accendatur modò, & modò extinguatur, sed in eodè semper perseveret tenore. SE. Ad quos ualet affectus eiusmodi compositio? BRAS. Mesue inquit bilem educere absq; molestia, & ad biliosas ægrotudines conuenire, & ad calidas iuncturarum ægrotudines, & ad sodam calidam, & uertiginem, & ad isteritiam luteam. SE. Quid intelligendum est per Galliam? BRAS. Gal-

F iij liam

lian muscatam Mesue: de quo suo in loco uerba facimus. reperiuntur multæ apud antiquos de rosis compositiones, quæ & diarhodon uocantur, & Galenus multas retulit, & Trallianus diarhodon, cholagogon consecit, et rhodomelli solutiũ ab Actuario descriptum est. S E. Arbitror nullum esse simplex medicamentum, quod plures ingrediatur cõpositiones rosa. BRAS. Et supra omnia saluberrima est. sed aliud contemplerur medicamentum. S E. Electuariũ Indum sequitur.

## ELECTVARIVM INDVM.

BRAS. Cũ duo sint sub hoc nomine electuaria, Maius, et Minus, quod nã paratũ seruatis? S E. Id, quod Maius uocatur. BRAS. Tamẽ nõ desunt pharmacopole, qui Minus parant, uerum Maior pharmacopolarum pars suis in pharmacopolijs Ferrariæ Maius habent, cuius compositionẽ afferto, ut illã contẽplemur. S E. Hec est:

℞. Cinnamomi,	}	Singulorũ drach. iiii.
Garyophyllorum,		
Spicæ,		
Rosarum,		
Castie,		
Maceris,		
Ciperi,		
Sandalorũ luteorum,		drach. ii. s.
Ligni Aloës,	}	Singulorum drach.
Nucis muscate,		ii.
Turbith boni,		drach. l.
Zuccari,	}	Singulorum drach.
Penidiorum,		xx.

Galangæ,



Galangæ,	}	Singulorum drach.
Heyl,		
Cardamomi,		
Assari,		
Scammonij cocti in pomo,		drach. XII.

Omnia cum oleo amygdalarum dulcium fricentur,  
deinde:

Rx. Succi cotoneorū,	}	Singulorum lib. s.
Granatorum,		
Apij,		
Foeniculi,		

Decoque cum melle ad spissitudinem, & confice cum speciebus. BRAS. Hoc est electuarium Indum Maius, quod in frequentiori usu est, quam Minus, & in quo multi ex nomine decepti sunt, nigram bilem euacuare putantes, cum tamen illam non euacuet, sed eius proprium est pituitam educere, et nihil aliud proprie: nam secundo bitem euacuat: illiq; explodendi sunt, qui aiunt, duodecim scammonij drachmæ esse efficaciores, quam quinquaginta drachmæ turbith: nos autè dicimus pituitã efficacius educere: et quãuis scãmonium fortè causa sit, ut turbith citius agat, hoc nihil refert, & concedi potest: quoniam scammonium citius agit, quàm turbith. at quid per cassiam in hac compositione accipis? SE. Cassiam fistulam à nobis uocatam. BRAS: Oblongam siliquam intelligis? sed quomodo illam huic compositioni aptas? SE. Illam ex canna extraho, postea pulueribus misceo. BRAS. Quid facient in hac compositione drachmæ quatuor cassiæ? SE. Modicè profectò facient, at cum medicamentum sit purgatorium, aliquo indiget leniente.

BRAS.

BRAS. Hoc est absurdum dictum, cathartica scilicet medicamenta lenientibus indigere: immo per se sumi possent, modo ut decet, sint emendata: quomodo etiam manibus fricaretur, cum author iubeat omnia esse manu fricanda: nam manibus inhereret castia, & illas totas deturparet: cum etiam author iubeat omnia esse ex oleo amygdalarum inungenda, quomodo castia erit inungenda: iccirco per casiam, uocatam canellam intelligere oportet, quæ uerum cinnamomum non est, & ab antiquis castia uocatur: cum autem uero cinnamomo careamus, ab re non erit eius loco canella, quam uulgius cinnamomum uocat, uti: nam ad duplum aucta, idem ualet, quod uerum cinnamomum: iccirco cum dicit; Cinnamomi drach. iiii. octo canellæ drachmas accipito: quoniam uerò caremus cinnamomo, cum deinde sequitur, castiæ drach. iiii. adde etiam canellam ad hoc pondus, quia ipsa est antiquorum castia, et eius duplum (Galeno teste) cinnamomum uiribus æquat. S E. Quid est Heyl? BRAS. Cardamomi species, quidam inquit esse uocatas meleghetas, arbitramur esse cardamomum Minus, ut simpliciter per cardamomum Maius intelligatur, & per Heyl Minus. S E. Dic, ne pigeat, quomodo electuarium hoc confici iubes? BRAS. Pulueres in primis ex simplicibus pararem, & amygdalarum dulcium oleo inungerem; nam turbith uim, & scammonij corrigit; postea citoniorum succum, granatorum, apij, & fœniculi acciperem, illosq; depurarem, ex singulorum quorum depurato semilibram acciperem, ut duas æquent succi libras: si mel accipere debeam, quantum pro pulueribus satis erit, & pulueres sint centumquadragesimiquatuor drachmæ,



drachmæ, id est uncie decem & octo, singulisq; tribus puluerum uncis, mellis libra debeatur, cum prædictis succis mellis libras sex commiscere debemus, & coquendi sunt cum melle semper expumando, uel mel expumatum prius accipiendum, & ad idoneam spissitudinem bulliant. S E. Quæ nam erit hæc idonea spissitudo? B R A S. Si ad mellis spissitudinem redderentur, postea prædictos pulueres egregie misceto. itaq; electuarium hoc perfectum erit, quo statim uti poteris. S E. Hoc medicamentum phlegmagogum est: & diaphinicon phlegmagogum, quod nam horum uehementius educit? B R A S. Hoc uehementius est: et præsertim si diaphoenicum scammoniū receperit præparatum, quia non præparatum uehementiora reddit medicamenta. S E. Multi codices legunt, zuccari penidiorum, singulorum unc. xx. at hæc uidetur esse nimis ampla quantitas. B R A S. In illis codicibus mendum est, & legi debet, drach. xx. S E. Quorū granatorum succus accipi debet? B R A S. Magis adstringentium, & austerorum, quia succus hic, & ille cotoneorum ad uim catharticorum compescendam huic electuario miscentur: succus uero apij, & fœniculi ad uentriculum roborandum, & obstructionem aperientem recipitur. S E. Cur nuncupatum est electuariū Indū? B R A S. Arbitror ab Indo aliquo fuisse inuentum: unde illi aberrant, qui nigros humores purgare dicunt, & ob id Indum uocetur: at pituitam euacuat, non atram bilem. S E. Quæ nam est huius electuarij dosis. B R A S. Vos pharmacopole causa estis, quòd medicamentorum doses immutari debeant: nam ex uobis aliqui pro singulis duabus puluerum uncis mellis

mellis libram commiscet : alij, qui Mesuem sequuntur, pro singulis tribus uncijs mellis librā addunt; et ut maior est mellis copia, ita dosis amplianda. Supponamus pharmacopolas pro singulis tribus puluerum uncijs libram mellis apponere, ut est Mesues regula, tūc dicimus Mesuē præbere tria aur. i. drach. iiii. s. tamē tutò præberi potest usque ad octo drachmas : at si pro singulis duabus puluerū uncijs mellis libra accipiatur, drach. x. & xii. præberi possunt. SE. Est ampla mellis quantitas, si pro singulis duabus puluerum uncijs, mellis libra misceatur: nempe erunt nouem mellis libræ. BRAS. Propterea maiorē quantitātē præbere oportebit. SE. Immo & sex mellis libræ sunt magna copia. BRAS. Posset minor mellis copia accipi, & non ab re, quia penidia, & Zuccarum inter aromaticos, & catharticos pulueres numerari non debet: iccirco à pulueribus quadraginta drachmæ auferentur, quæ sunt uncia quinque : & ideo minus mellis apponatur libra una, & uncia octo: propterea mellis apponēdi quantitas erit, lib. iiii. & uncia quatuor. SE. Deinceps hunc sequar morem : nam hæc minor mellis copia mihi potius placet, quàm tanta moles. at quia nonnulli præbent hoc medicamentum ad expurgandos renes, conuenit ne? BRAS. Conuenit prorsus, modò adsit pituita, quæ educi debeat, uel bilis: nam hos humores ab omnibus trahit membris, et non à solis renibus: in ipsa uerò compositione nonnulla sunt, quæ & ad renes, & ad reliquas urinarias uias medicamenti uim deducunt. SE. Cūm dixeris alios quos esse pharmacopolas, qui Indum Minus seruant, quod nam potius seruandum? BRAS. Quantum in  
me



me sit, iuberem, ut electuarium Indum Minus seruaretur, quod est minus calidum, quam maius, & magis etiam phlegmagogum: at cum huius electuarij intentio sit, precipue pituitam educere, & Minus illam uehemētius educat, propterea Indum Minus, intētionem, quam intendit, magis perficit, quam faciat Maius. S E. Tamen ego semper Maius seruauī, & neminem uidi, qui Minus Ferrariæ seruaret. BR A S. At nos uidimus, quod illud seruauerint, & nouimus à quibusdam, & ipsi probis medicis admoniti: nosq; te in presentiarum admonemus, ut hoc serues. S E. Deinceps Indum Minus cōficiam, & seruabo. at eius compositionem adducito, ut si quid in ea sit expurgatione dignū, & exploratione, illud expurgemus. BR A S. Hæc est compositio:

Rz.	Turbith,	drach. c.
	Zuccari tantundem:	
	Maceris,	} Singulorū drach. vii.
	Piperis,	
	Gingiberis,	
	Garyophyllorum,	
	Cinnamomi,	
	Heyl,	
	Nucis muscatæ,	
	Scammoneæ,	drach. xii.
	Confice cum melle despumato.	

SE: Tu modum conficiendi edoceto, & mellis quantitatem, quæ ingredi debet: quoniam neque gry quidē sumus à tua sententia discessuri. BR A S. Omnia in puluerē redigenda sunt, & despumati mellis libræ sex, & uncie octo accipiendæ, postea omnia simul miscenda, unā

da, unâ cum zuccaro in puluerem redacto. SÆ. Quæ nam est huius electuarij dosis? BRAS. Mesue præbet tres aur. nos præbemus usque ad sex drachmas. SÆ. Ad quos conuenit affectus? BRAS. Ad omnes, ad quos ualebat Indum Maius, sed illa efficacius educit, quæ educenda sunt: potissimum conuenit, quando ex intestinis, iecore, & omni alia corporis parte pituita educenda sit. SÆ. Nonnulli aiunt nos eo statim uti non debere, si scammonium receperit, & non diagridium. BRAS. Nos dicimus in hac compositione, quæ & Indum Maius, & diaphoeniconem efficacia superat, crudum scammonium esse accipiendum, cum author simpliciter scammonium dicit, in Maiori etenim Mesue scribere sciuit, scammonium accipiendum esse in pomo coctum; hic uero simpliciter, scammonium accipit, & licet adsit Mesues propositio, quod scammonium sit semper corrigendum, intellige, cum solum accipitur, uel aliquibus mistum non adsint, quæ illud corrigant. SÆ. Cum electuarium hoc efficacius sit, quàm Indum Maius, cur hoc potius non est uocatum Maius, & præcedens Minus? BRAS. Vocatum est Minus (ut arbitror) quia pauciora recipit simplicia: Maius uero plura recipit, adsunt, qui scripserint, esse delicatum, si cum iure accipiatur: at hi (meo iudicio) simplicium sapes ignorant: propterea illa prosequaris, quæ in tua scheda scripta sunt. SÆ. Electuarium de Benedicta sequitur:

## BENEDICTA.

BRAS. Est electuarium Nicolai, quod nomen hoc contraxit, quia nullus est, qui illud acceperit, quin de illo



illo benedicat. at compositionem eius adducito. SE.  
Hæc est:

℞. Turbith,	}	Singulorū drach. x.
Esulæ,		
Zuccari,		
Diagridij,	}	Singulorū drach. v.
Hermodactylorum,		
Ros.		
Garyophyllorum,	}	Singulorum drach. i.
Spicæ,		
Gingiberis,		
Croci,		
Saxifragiæ,		
Macropiperis,		
Amomi,		
Cardamomi,		
Seminum lini,		
Seminum petroselini,		
Salis gemmæ,	}	Singulorum drach. i.
Galangæ,		
Maceris,		
Carui,		
Fœniculi,		
Asparagi,		
Brusci,		
Granorum solis,	}	

Mel, quod sufficit: detur uesperi in uino calido ad  
castaneæ quantitatē. BRAS. Potest & præberi in  
diluculo: non enim necessarium est illud uesperi præ=  
bere, sed potest & mane, et alijs horis præberi, quan=  
do conuenit: mulieribus potissimum propinatur, qui=  
bus

bus menses non profluunt, quando sunt per catharticum expurganda, neq; finit in ipsis pituitam, uel bilem accruari. SE. Sunt aliqui codices, in quibus cum legitur seminis lini, ipsi habent selini spermatis, id est seminis apij: quid tu legendum censes? BRAS. Arbitror legendum esse, seminum lini, quia in compositione adest petroselini semen, quod est hortense apium: nam ita accipiebat Nicolaus, pro petroselino hortense apium, quod & uulgus nunc uocat petroselino. SE. Quot mellis libræ in hac compositione accipi debent? BRAS. Zuccarum inter pulueres numerandum non est: pro accipienda uero mellis quantitate, reliqui pulueres simul misti sunt uncia sex, & drachmæ quinq;: iccirco accipiendæ sunt mellis despumati libræ duæ, & uncia duæ, plus, minus; cui mellis copiae pulueres addantur, & probe misceantur. SE. Aliqui sunt, qui Lincis lapidem in hac compositione recipiunt. BRAS. Ob quam causam recipiatur, ignoramus, & fabulosa lapidis lincis miracula, & experimenta negamus: iccirco illum minime adderem, cum & à multis pretermittatur codicibus: qui uero hunc lapidem addunt, simul & maslichè, & ami coniungunt: de solis granis nihil in presentiarum agemus; quoniam de illis uertim in nostro simplicium examine pertractatum est. SE. Lapis ille fabulosus deinceps compositiones nostras haud ingreditur. BRAS. Et probe ages: tamen & maslichè, & ami addi posse non negamus. SE. Ad quos ualet affectus Benedicta? BRAS. Podagra conuenit, chiragra, & arthritidi, cum à frigidityate ortum habent, renes, & uesticam expurgat, paralysi obuiat, neque in uteri affectibus despicienda est.

SE.



SE. Ad quantam copiam præberi potest? BRAS. Nicolaus præbet ad castaneæ quantitatem cum uino calido, nos drachmas sex, et octo præbemus: ex his pulueribus pilulæ fiunt, quæ de Benedicta uocantur; de quibus in pilularum examine mentionem fecimus; at cum hæc de Benedicta satis esse uideantur, ad alia te conferas. SE. Diacarthamum sequitur.

## DIACARTHAMVM.

BRAS. Est ne in publico usu diacarthamum? SE. Est, & ego illud semper in meo pharmacopolio paratum seruo. BRAS. Quis nam fuit huius compositionis author? SE. Ignoro, audiui tamen esse compositionem (ut uocant) magistralem. BRAS. Quas magistrales compositiones appellas? SE. Illas, quæ certum non habent authorem, sed ab ipsis pharmacopolis in usum redactæ sunt, uel à medicis, qui tunc artem exercent. BRAS. Si huius compositionis authorem inuenero, quid mihi erit premij? SE. Labor illum referendi. BRAS. Premium est te dignum: sed en, reperitur apud Nicolaum Florentinum, sermone II. summa IIII. tractatu II. distinctione. VII. cap. XVII. ubi de homitritei curatione uerba facit; & ipse Arnaldum de Villa noua adducit, ueluti ipsius compositionis authorem. SE. Ergo non est magistralis. BRAS. Non, ut uidetur. at tu compositionem, quam paras, referto. SE. Hæc est, quæ sequitur:

℞. Specierum diatragacathi frigidi, unc. I.  
 Carnis cotoneorum, unc. II.  
 Gingiberis albi, drach. I.  
 Medulle carthami, unc. s.

G Turbith

Turbith electi,	drach. II.
Diagridij,	drach. V.
Mannæ granatæ,	) Singulorum
Mellis rosati ad solē purificati,	
Zuccari albi,	unc. XV.

Fiat cōfectio in bolis, quorū unusquisq; sit. drach. IIII.

BRAS. Nicolaus Florentinus in uno solū ab hac tua differt compositione, quia ipse ponit specierum diatragacanthi frigidi, & carnis cotoneorum singulorum unc. i. tu uerō ponis diatragacanthi, unc. i. & carnis cotoneorum, unc. ii. aliqui uerō sunt pharmacopola, qui in pondere magis aberrant: nonnulli etenim illam, quæ sequitur compositionem seruant:

B. Medullæ carthami,	drach. i. scrup. i.
Specierū diatragacanthi frigidi,	scrup. ii.
Carnis cotoneorum,	drach. ii. s.
Gingiberis albi,	scrup. i.
Turbith,	scrup. ii.
Diagridij,	scrup. ii. et gra. i.
Mannæ granatæ,	) Singulorum unc. i.
Mellis rosacei,	
Zuccari albi,	unc. vi.

Misce, et fiat cōfectio in rotulis, uel in morsellis.

SE. Fortè pondera hæc sunt ad proportionem ponderum meæ compositionis. sed in minori copia est hæc compositio BRAS. Est quidem in minori copia, sed nullum habet cum tua compositione, & cum illa Nicolai proportionem. SE. Illam igitur compositionem sequar, quam semper parauī. BRAS. Illam sequar. SE. Cur dicitur mannæ granatæ? BRAS. Vel quia grana habere debeat, uel quia ex tali adducatur



atur prouincia: nonnunquam arbitratus sum, cum in  
 has compositiones ad compescendam uim fortium ca-  
 thartaricorum thuris manna ponatur, hic manna thu-  
 ris intelligendam esse, quæ non esset in puluerem re-  
 dacta, sed granula haberet: tamen prima sententia  
 potior est: nam & manna uoris ad leniendum ingre-  
 ditur, & licet in modica sit copia, & mel rosaceum est  
 in modica copia. S E. Ad quos ualet affectus?  
 B R A S. Bilem educit, & pituitam: ualet ad hemi-  
 triteum, ad capitis dolorem, ad paralytim, & ad om-  
 nes affectus ex bile, & pituita mistos: unde, & mistis  
 conuenit podagris. S E. Cur uocatur diacarthamum,  
 cum multa sint in compositione in maiori copia, quam  
 carthamum? B R A S. Ita placuit authori suam hanc  
 nominare compositionem, cum ab alijs rebus, quæ in-  
 grediuntur, aliæ sint denominatæ compositiones. At  
 ne quicquam prætermittamus, quod ad compositionem  
 spectet, dicito quomodo paræ diatragacanthum frigi-  
 dum? S E. Ita ut sequitur:

Tragacanthi albi, unc. iij.  
 Gummi arabici, unc. i. drach. ii.  
 Amyli, drach. iiii.  
 Glycyrrhizæ, drach. ii.  
 Penidiorum, unc. iij.  
 Semen quatuor frigidorum maiorum, drach. ii.  
 Syrupi uiolati quantum sufficit.

B R A S. Hæc est compositio, quæ fieri debet, & quæ  
 diacarthamum ingreditur. S E. Quam copiam præ-  
 bes placentularum diacarthami? B R A S. Omnes di-  
 cunt ad drachmas quatuor præberi posse, nos dici-  
 mus usq; ad sex; præsertim quando rotule sunt re-  
 quietæ,

G ij quietæ,

quietæ, & non recenter factæ. at quid sequitur diacar-  
thamum? S E. Diaprunis solutiuum:

## DIAPRVNIS SOLVTIVVM.

BRAS. Aestiuo tempore libenter hoc utor medi-  
camento ad illa acuenda, quæ tunc præbentur: qualia  
sunt syrupus ros. solutiuis, manna, cassia, & reliqua,  
quæ ex se non magnopere educunt. adest uerò duplex  
diaprunis, solutiuum, & non solutiuum. S E. Et nos  
utrunq; in nostro pharmacopolio seruamus. B R A S.  
Nicolai compositionem referto, quam te seruare arbi-  
tror. S E. Illa profectò est, quam seruo, & ita con-  
ficio: accipio pruna cætum damascena. B R A S. Ob  
hoc à nonnullis uocatur Diadamasenum. S E. Il-  
lasq; in uas repono æreum, stanno delinitum, tan-  
tumq; addo aquæ, quantum pruna tegantur; postea  
igne supposito, tantum ebullire facio, quantum satis  
est, ut pruna dissolui incipient: tunc illa ab igne remo-  
ueo, & cum aqua fuerit effecta frigida, uel non tam  
calida, ut manibus obesse possit, tunc pruna ab aqua au-  
fero, in uasq; perforatum repono, uel in cribrum, cui  
catinum figulina arte factum, & uitreatum subsit;  
& tamdiu manibus frico, quòd tota prunorum caro  
per foramina liquefcit, & in catillum colligitur, & so-  
la semina, ac prunorum cortices in qualo relinquun-  
tur: tunc aquam illam, in qua pruna ebullierint, acci-  
pio, & in eadem ebullire facio uiolarum unc. i. permit-  
to uerò unica ebullitione ebullire, quia uiolæ uehemen-  
tem non ferunt ebullitionem, postea uiolas aufero, &  
huic decocto addo:

Zuccari,



Zuccari, lib. ii.

Pulpæ prunorum, lib. i.

Tuncq; ad spissitudinem coquo: cum inspissari incipit, addo:

Tamarindorū percolatorū, } Singulorum

Castiæ percolatæ, } unc. i.

Iterum igne lento ebullire facio, rudicula semper agitando, quousq; ad perfectionem peruenerit: deinde sequentes pulueres superaspergo:

R. Sandalorum alborum, }

Rubrorum, }

Spodij, }

Rhabarbari, }

Cinnamomi, }

Rosarum, }

Violarum, }

Seminis portulacæ, }

Scariolæ, }

Berberorum, }

Succi Glycyrrhizæ, }

Tragacanthi, }

Singulorū drach. iiii.

Singulorū drach. ii.

Seminū quatuor frigidorū maiorū, Singulorū drach. i.

Hæc omnia misceantur, in puluerem redacta.

BRAS. Imponis ne hos pulueres, quando ebullit medicamentum? SE. Minimè, sed frigesce-re sino, uel tepescere. BRAS. Probè agis. at quo castiam alis, atque tamarindos? SE. Portionem quandam illius decoctionis, in qua uiolæ ebullierint, seruo, & castiam, ac tamarindos ex ea dissoluo, postea prunis, & zuccaro commisceo. BRAS. Ita erat agendum. SE.

Quænam quantitas huius electuarij præberi po-

G iij testè

test? BRAS. Hoc non est solutiuum; & si soluit, id leniendo facit, & ratione rhabarbari: unde si ex eo uentris solutio quæreretur, duæ, & tres uncia præberi possent: at cum exhibetur, potius exhibetur ad refrigerandum, & leniendum: iccirco à Nicolao dicitur, in acutis præberi febribus, & in peracutis: ut in causonide, & in ardente febre: immo in initio præbet, in augmento, & in consistentia. SE. In declinatione uerò non præbet? BRAS. De declinatione nullam mentionem facit, quia nullus est, qui in declinatione præberi posse, ambigere debeat. SE. Potest ne ex alijs prunorum generibus fieri à damascenis? BRAS. Potest prorsus, & ex prunis myrobalanis uocatis, & ex Ibericis confici: præsertim cum ad educendum præbetur, & emolliendum. SE. Pruna, quæ accipiuntur, debent ne esse probe matura? BRAS. Omnino, sed non tam matura, ut sint corruptioni propinqua: ex alijs prunorum generibus ab enumeratis confici non debent: tamen si intentio tua sit emollire, plus emolliunt Iberica, quæ uulgus nostrum Catalonica uocat, & myrobalana, quam damascena: unde à Galeno in 11. de Alimentorum facult. dicitur: Damascenis à Damasco Syriæ monte, in quo nascuntur, appellatis, prima laus bonitatis, magna hominum opinione desertur, proxima ijs, quæ in Iberia & Hispania proueniunt. Verum hæc nullam adstringendi uim representat, damascena quædam sanè quam præclaram: tamè Galenus pruna probat, quæ aliquam habent adstrictionem, inquiens probatissima in his sunt, quæ cum mediocri constrictione, ampla, laxaq; sunt. SE. Magis igitur emolliet: si ex Ibericis prunis conficiatur. BRAS. Ita profectò est, sed



est, sed forte non erit ita frigidum, ut cum sit ex damascenis, in omni affectu ex bile præberi potest: & si quis bilem egregie educere uoluerit, illud solutiuum faciat cum diagridio, ut admonuit Nicolaus. non ne & uos in omnibus Nicolaum sequimini? SE. Sequimur: nam huius non solutiui diaprunis libram accipimus, & septē diagridij drachmas addimus statim, cum ab igne deponitur; itaq; solutiuum euadit. BRAS. Aliqui integram diagridij unciam in hac compositione commiscet, alij drachmas quatuor. SE. Ego semper authorem sequutus sum, qui drachmas septens commiscet. BRAS. Contemplemur quanta sit diagridij quantitas, quæ singulam diaprunis drachmam ingreditur. SE. Diagridium, quod libram diaprunis ingreditur, quantitas granorum quadringentorum & uiginti, diaprunis uerò libra nonagintafex capit drachmas, uicirco in singula diaprunis drachma quatuor diagridij grana, & tertia fere pars unius grani ingreditur. BRAS. Est uehemens solutiuum, bilemque potenter educit, si ex eo quatuor tantum drachmæ præbeantur, ego libenter in æstate eo utor ad educendam bilem in omnibus biliosis febribus, & eo medicamenta tarda cholagoga acuo. SE. Ad quam copiam in summa exhiberi potest? BRAS. Ad sex drachmas in maxime stupicis, in alijs ad quatuor, uel quinque: Nicolaus ad castaneæ quantitatem præbet cum aqua calida: at cum pondere præbendum est, ut tutius agatur, nã soluētia medicamēta ad libitū præberi non debent, sed ad determinatū pondus. Multæ sunt apud antiquos authores ex prunis compositiones, sed nulla hanc æquat: tu igitur & diaprunis solutiuum, et

G iiij non

non solutiū in tuo pharmacopolio seruato. SE. Neque desunt, neque unquam defuerunt, sed electuarium de Sebesten hoc sequitur:

## ELECTVARIVM DE SEBESTEN.

BRAS. Nullus est antiquus author, uel ex recentibus fidedignus huius electuarij inuentor: sed apud Mōtagnanam reperitur. SE. Tamen omnes pharmacopola Ferrariae illud parant. BRAS. Tu descriptiōnem, quam sequeris, referto. SE. Hæc est:

℞. Sebesten recentis, unc. v.  
Infundantur in libram unam aquæ uiolarum, ut bulliant, demum colētur, & prædictæ colaturæ addatur:

Aquæ Iridis,	} Singulorum
Anguriæ,	
Tamarindorum,	} Singulorum
Prunorū siccorū cōtusorū,	
Seminum cōium frigidorū,	} Singulorum
Violarum,	
Succi Mercurialis,	unc. i i i i.

Coquantur simul usque ad consumptionem medietatis, & uehementer exprimantur, ac colentur, & percolate parti addantur:

Penidiorum,	unc. v i i i.
Diaprunis non solutiui,	lib. i. s.
Diagridij,	drach. i i i.

Misce, & fiat electuarium. BRAS. Est leue, ac mite medicamentum, quod bilem præcipuè educit. legimus compositionem quandam, in qua aderat soldanellæ herbæ succi, unc. v i. ad quantitatem succi anguriæ, & iridis, neq; succum hunc addere mihi displiceret:  
cum



cum mirificè ichoreæ purget: tunc enim non solum bilem educeret, & non nihil pituitæ, sed & aquas in hydropæ. biliosis conuenit febribus: & in summa omnibus biliosis ægritudinibus. non est tam uehementis, ut diaprunis solutiuum. Dosis eius potest accedere ad unciam unam, & ad drachmas decem. at quid accipis tu pro iridis aqua? SE. Ipsius iridis succu. BRAS. Probè agis, & succus hic ex radicibus sumendus est. SE. Et anguria succum accipio. BRAS. Immo, & accipe aquam illam, quæ sponte in anguria à carne distincta est. SE. Diasena huc pedem confert: postea quam de Diasebesten satis dictum uidetur.

DIASENA.

BRAS. A quo authore refertur? SE. A Nicolao. BRAS. Compositionem huc adducito. SE. Hæc est, quæ sequitur:

℞. Senæ,	unc. III.	
Auellanarum assatarum,	num. L.	
Serici combusti,	drach. II.	
Lapidis armeni,	drach. I.	
Lapidis lazuli,	drach. III.	
Zuccari,	unc. VI.	
Cinnamomi,	unc. I.	
Garyophyllorum,	} Singulorum drach. II.	
Galangæ,		
Piperis,		
Spicæ,		
Ozimi,		
Gingiberis,		
Folij Gar.		

Cardæ

Cardamomi,  
 Croci,  
 Zeduarie,  
 Floris roris marini,  
 Macropiperis,  
 Mellis, quod sufficit.

BRAS. Est profectio hæc compositio Nicolai, sed non Nicolai Præpositi, quem uos sequimini; at est Nicolai Alexandrini, qui multo tempore ante Nicolaum Præpositum scripsit, & Nicolaus Præpositus ab eo ad uerbum accepit: hoc autem uerum esse, non solum compositio ipsa ostendit, sed & cõpositionis initium: nã ita incipit Alexandrinus: Diasena dicitur, quia plus de sena ponitur ibi, quàm de alia specie: ualet propriè melancholicis, maniacis, cardiacis, & tristicis: tota confectio apponderat libram unam. S E. Ita ad uerbum dicit Præpositus. BRAS. In descriptione idem præcisè dicit, & in ponderibus: postea in calce ita conueniunt, & in conficiendi modo, ut Præpositus Alexandrini finia uideatur: nempe dicit: Detur cum aqua, in qua infusa sint folia senæ per noctem, sub diuo. Conficitur sic: Cum melle auellana benè pulverizata deßumato melle, ad ignem decoquantur, deinde puluis specierũ admisceatur: quod ualet quartanarijs, & magis spleneticis. S E. Et ipse Præpositus neque in uno differt uerbo. BRAS. At compositionem ipsam cõsideremus. S E. Mihi prius conuenire uidetur, ut aliã adducamus compositionem, quæ in ipso Nicolao Præposito scripta est. BRAS. In Alexandrino non fit alterius Diasenæ mentio, quàm illius. S E. Tamè multi pharmacopole hanc, quam adduximus, non parant,



rant, sed illam, quæ in secundo loco est à Præposito scripta. BRAS. Illam igitur referto. SE. En tibi morem gero:

12. Senæ,	unc. III.
Cinnamomi,	} Singulorū drach. III.
Garyophyllorum,	
Folij,	
Cardamomi,	
Galangæ,	
Maceris,	
Ligni Aloës,	
Piperis longi,	
Gingiberis,	
Zedoariæ,	
Spicæ,	
Nucis moscatæ,	

Borraginem, & calamentum addito, & cætera, quæ melancholiam purgant:

Auellanarum assatarum	num. L.
Setæ combustæ,	drach. II.
Lapidis armeni,	unc. I.
Lapidis lazuli,	drach. III.
Zuccari,	unc. V.

Mellis spumati, quod sufficit.

BRAS. Est tam modica inter unam, & aliam compositionē differentia, ut non magnificerem si prima, vel secunda conficeretur, ac seruaretur ad usum. SE. At tu quam potius seruari cuperes. BRAS. Primam; quia est compositio Nicolai Alexandrini. SE. Ego semper illam seruavi. BRAS. Quid accipis pro sena folia, an folliculos? SE. Folliculos: nā Mesue folijs

folijs folliculos præfert. BRAS. Deinceps uolo, ut folia folliculis mista accipias, & nos cum Mesue, folliculos potiùs probamus; tamen ubi folia, & folliculi habentur simul, miscendi iubemus. sed ob quam causam auellane compositionem hanc ingrediuntur? SE. A nonnullis audiui apponi ad roboranda membra.

BRAS. Ego nunquam legi roborari membra auellanis, nisi forte dicamus uim quandam habere adstrictoriam, ut Galenus monet in 11. De Aliment. facult. & in v. 11. De simplic. medic. facult. at uis hæc adstrictoria membra roborat, & magis consistentia facit: nobis potiùs uidetur, cum à Galeno dictum sit in præcitatís locis, esse difficilioris coctionis, quod hic positæ sint, ut totam compositionem diutiùs in uentriculo, & in intestinis retineât; & cum uaporose sint, ad caput ascendant, & ad cor, secumq; uapores ducant, qui ab alijs simplicibus eleuantur, qui uim habent membrorum roboratoriã, & atrabiles materiæ educantur: nam potissimum cõpositio hæc in atrabilarijs affectibus præbetur; & quia atrabiles materiæ naturam quandam habent uenenosam, forte appositæ sunt, quia auellane ueneno obflunt: immo à Galeno in 11. de Alimentorũ facult. notatur, nucem iuglandem auellanam, & rutam simul esa, à lethibus uenenis liberare. quicquid, sit cõpositio hæc auellanas recipit. at quomodo torrentur?

SE. Nuclei à putamine exeruntur, & in sartagine ponuntur, igniq; appenduntur, semperq; sunt baculo mouendi, ne urantur. BRAS. Mihi potiùs placet, ut in duas, uel tres partes diuidantur, postea more tuo torresiant, deinde manibus perfricentur, ut extima pellicula auferatur, debentq; esse adeo tostæ, ut usæ non sint,



sint, sed faciliè in puluerem redigantur: & cum hic puluis difficilioris sit coctionis, propterea cum melle prius despumato coqui debet: mel uerò id sit, quod cõpositionem ingredi debet. S E. Ita ferè facio: tamen auellanas integras assabam, uerum ut felicius, & probius assentur, non ab re erit, in partes diuidere.

B R A S. Ob quam causam sericum combustum crudum apponitur? S E. Aiunt humori atrabilarì obfistere, & cor ipsum roborare. B R A S. O' mira fatuitas, nullã habet ex qualitatibus, quæ cor roborare possunt, neque odoratum est: immo potius foetet sericum crudum: imaginariq; nescimus quomodo sericum, & per quam qualitatem atræ bili aduersetur: dictũ profectò est à nonnullis de tincto in chermes, quod ob tuncuram ad hæc ualeat: tamen nulla habetur uel ratio, uel experientia, uel alicuius uiri fidedigni auctoritas, quæ hoc nobis suadere possint. at dicitò folij loco, quid accipis in hac compositione? S E. Folium ipsum, uel malabathrum, quod Venetijs emo. B R A S. Immo id non est folium, quod Venetias pro folio comportatur: deinde Nicolaus Alexandrinus in sua compositione folium non ponit, sed inquit foliorum Garyophyllorum, ut uelit non solum garyophylla ipsa compositionem ingredi, sed & garyophyllorum folia, quæ & ipsa aromatum naturam habent. S E. Quanta mellis copia accipi debet? B R A S. Tres libræ & semis. ad garyophylla uerò redeunt, quod ipsorum folia intelligi debeant, & non folium, quod est malabathrũ, ex hoc ostendi potest, quia prius posuerat in compositione garyophylla, deinde contextus ferè omnes Nicolai legunt. fol. Gar. Si legamus folij garyophyllorum, bis

bis repetita sunt garyophylla: iccirco conueniētius est, legere foliorū garyophyllorū, quā folij: & postea iterum garyophyllorum: scito tamen adesse & Ferrariæ pharmacopolas, qui neque unam, neque alteram ex præscriptis compositionibus parant: at aliam quandam seruant, quæ plura recipit, quā prædictæ complectantur. S E. Compositionem illam, ni pigeat, referto.

BRAS. Hæc est, quæ sequitur: neque illam referre piget:

℞. Ligni Aloës,	}	Singulorū drach. ii.
Garyophyllorum,		
Galangæ,		
Nucis muscatæ,		
Folij,		
Maceris,	}	Singulorum drach.
Cinnamomi,		
Lapidis lazuli,	}	ii. s.
Lapidis Armeni,		
Senæ in duplo prædictorum:		
Croci,		drach. i.
Serici crudi combusti,		scrup. ii.
Rasuriæ eboris,	}	Singulorū drach. i i.
Spodij,		
Anacardi,		
Osis de corde cerui,		
Blaclæ bisantiae,		
Hermodyctorum,		unc. i.
Myrrha,	}	Singulorum drach. ii.
Gentianæ,		
Baccarum lauri,		
Hellebori nigri,		

Auella=



Auellanarum cōbustarum, nu. xv.

Ambræ, scrup. ii.

Mellis, quod sufficit.

Quidā addūt pro leprosis, Carnium serpentū, unc. ii.  
 S E. Multo plura sunt in hac compositione, quā in  
 prædictis simplicia. BRAS. At ego illa non magni-  
 facio, nempe os de corde cerui, ita in hac compositio-  
 ne ualere ad atram bilem arbitror, ut id quod nihil  
 ualet. Blactæ bisantiæ odoratæ sunt, si ueræ sunt blactæ.  
 S E. Est longe uehementior hæc compositio, quā  
 sint aliæ superius enarratæ. BRAS. Est profectō  
 uehementior, sed in minori præberi debet copia: de pri-  
 ma cōpositione præberi potest usq; ad tres drachmas:  
 de hac usq; ad duas ad summū in robustis, & stipticis:  
 tamen drachma una solet esse commune pondus, quod  
 præberi debet. S E. Infusio senæ consequitur.

## INFUSIO SENÆ.

BRAS. De hac in præsentia nihil agemus: quoniā  
 in syruporum examine de illa ubertim scriptum reli-  
 quimus: sola præberi potest usq; ad octo uncias. S E.  
 Est magistralis compositio? BRAS. Est profectō, si  
 magistrales illas compositiones uocabis, quæ nullum ha-  
 bent certum authorem, sed à pharmacopolis fiunt se-  
 cundum quendam usum, qui ferè à natura emanasse ui-  
 detur. S E. Ergo senæ pulucrem consideremus.

## PVLVIS SENÆ.

BRAS. Pharmacopole Ferrariæ in hoc puluere di-  
 uersi sunt, à te uerò incipiamus: quam compositionem  
 paratam seruas? S E. Hanc, quæ sequitur:

℞. Fo-

℞. Foliorum sene,	}	Singulorum
Tartari albi,		unc. II.
Garyophyllorum,	}	Singulorum drach.
Cinnamomi,		II.
Galangæ,		
Ameos,		
Diagridij,		drach. III.

Misce, & fiat puluis. Hęc cõpositionē sēper seruauī.

BRAS. Et eandem seruant probi pharmacopole: ta-  
men alij sunt non improbandi, qui sequentem parant,  
ac agris, cū à medicis indicitur, præbent:

℞. Folliculorum sene,		drach. IX.
Tartari,		drach. IIII.
Maceris,		drach. III.
Cinnamomi,		drach. I. S.
Diagridij,	}	Singulorum
Salis Indi,		drach. S.

Misce, & fiat puluis.

SE. Magis probo compositionem, quam facio.

BRAS. Neque ego à tua sententia discedo: hac ta-  
men non despecta. drachma una bilem educit, & atram  
bilem: idq; uehementer efficit: alij sunt, qui ab his in  
ponderibus deuiant: alij plura habent aromata, & alij  
pauciora: & hæc est causa, cur in aliquibus educat, in  
alijs modicè educat: quia compositio, quam paras, uehe-  
menter educit: sed illa, quam ego retuli, remissius. SE.

Vidi, & qui compositionem pararent ex Antidotario  
Montagnanæ. BRAS. Quæ nam est? SE. Hęc:

℞. Folliculorum sene,		unc. I. S.
Gingiberis,	}	Singulorum drach.
Maceris,		II.
		Cinnamomi,



Cinnamomi, } Singulorum drach.  
 Tartari, } 1. s.

Terantur omnia, & in puluerem redigantur.

BRAS. Hic proprie est Senæ puluis, quia nihil aliud recipit, quod educere possit, quam Senam; sed opus etiã est illum in magna copia accipere: nam uncia uix satis erit ad tenuiter educendum. sed & nonnulli ita seruant confectum puluerem:

12. Folliculorum Senæ,	unc. IX.
Tartari,	unc. III.
Maceris,	drach. III.
Cinnamomi,	drach. I. s.
Salis Indi,	drach. III.
Diagridij,	drach. s.

Misceantur omnia, & in puluerem redigantur.

SE. Neque eiusmodi compositio multum educere potest. BRAS. Iccirco præberi potest ad drachmas quinque: at mihi gratius est, ut tuo in pharmacopolio primam compositionem paratam serues: nam illa est, quæ nobis præstare potest, quod petimus. SE. Ad quos ualet affectus? BRAS. Aduisos humores educit, & biliosos: secundario autem pituitosos, lepræ aduersatur, psoræ, & scabiei, ad omnesque conuenit affectus ex bile, atra bile, & pituita salsa. SE. Huic pulueri triphera persica succedit.

#### TRIPHERA PERSICA.

BRAS. Hæc compositio adeo confusa est, adeo intricata, ut uix crediderim ab uno, uel altero pharmacopola, & illo quidem diligentissimo, rectè confici: tamen ut experiamur, an illam accommodare possimus,

H ut rectè

ut rectè confici possit, Mesues compositionem referto.  
SE. Hæc est:

13. Succu Solatri,  
Endiuæ, } Depuratorū singulorū lib. 11.  
Apij, }  
Succu lupulorum, lib. 1.

Super eos proijciatur uiolarū siccarū, uel uiridū, lib. 1.

Folliculorum Senæ, unc. 11.

Agarici, unc. 1.

Prunorum damascenorū nu. L.

Cuscutæ, unc. s.

Miroba. Citrin.

Chebulorum, } Frigorum in oleo } Singulorū  
Indorum, } saccharo, aut amygdalarum dulcium, } drach. 11.

Spicæ aromaticæ, drach. 111.

Bulliant super prunas cum facilitate, usq; dum remaneat libra una, & proijciatur super illa epithimi munda drach. x l. & inuoluatur myrobalani in oleo amygdalarum dulcium, & bulliant ebullitione una, & deponantur ab igne, & colentur, & dissoluantur in una parte huius colaturæ:

Tamarindorum recentū, unc. 111.

Mannæ, unc. 1. s.

Pulpæ Castiæ, unc. 1111.

Zuccari uiolati, unc. x 11.

Colentur, & emudentur à granis, & scoffis, et in alia parte aquæ proijciantur:

Zuccari tabarzetis, lib. 111.

Aceti uini, lib. 1.

Coquantur cum facilitate: deinde proijciantur supra illud, quod dissolutum sit in succis, & aggregentur in unum,



unum, & coquantur usque ad mellis spissitudinem: ultimo uerò puluerizentur super illud:

Raued boni,	unc. ii.
Myrobalanorum,	
Chebolorum,	} Singulorum drach. i.
Indorum,	
Bell'ricorum,	} Singulorum drach.
Embllicorum,	
	} IIII.
Granorum sumiterra,	} Singulorū drach. ii. s.
Trochiscorū diarhodō,	
Maceris,	
Mastiches,	
Cubeborum,	
Spodij,	
Sandalorū citrinorum,	
Quatuor sem. maio. frigidorū,	Sing. drach. ii. s.
Anisorum,	drach. IIII.
Spicæ,	drach. ii.

Inuoluantur in oleo uiolato, & reponantur in uase uitreo, & da cum aqua frigida, & succo endiuie, uel suc cosolatri. Hæc est Mesues ad uerbum compositio.

BRAS. Immo potius confusio. Nam præter id, quod intentionem suam barbarissimè efficit: inordinata etiam ponit compositionem. tu ne illo modo eam paras, ut à Mesue edoceris? SE. Non recorder profectò quomodo fecerim: nam illam semel tantum composui, cum primum aperui pharmacopolium, & adhuc magna portio in labello superest. BRAS. Cur? non ne illū uendis? SE. Rarò: tamen maior medicorū pars, et nobilium, ac ciuū pharmacopolium nostrū frequentat, sed pauci medici illam suis ægris indicūt.

H ij BRAS.

BRAS. Opus ergo est, ut compositionem hanc tibi aperiam, id est quomodo fieri debeat, ostendam. SE. Id mihi gratissimum erit: sed doce me prius, cur triphera nuncupata sit. BRAS. Apud antiquos non pauca medicamenta triphera nuncupata sunt, id est delicata medicamenta. SE. At hoc penitus delicatum non est. BRAS. Non quidem, quo ad gustum, nec quo ad olphatum, sed quo ad opus; nempe sanitatem inducit, quæ res delicata est: uel ita compositor uisum est, quod esset delicatum medicamentum: cum tamen amarum sit. SE. Cur Persica uocatur? BRAS. De hac nomenclatura idem scio, quod tu: sed Mesue dicit, quia apud Persas sit experta, uel ab ipsis inuenta. at hæc ad rem ipsam nihil faciunt, modo compositio rectè fiat, quam nemo rectè faciet, si ordo, quem ex Mesue adduxisti, seruabitur. SE. Quem ergo ordinem seruare oportebit? BRAS. Illum, quem tibi referam. ne cogaris illa, quæ minima ferunt, decoctionem prius ponere, & posterius, quæ maiorem ferunt. SE. Tuum igitur referto ordinem, quo tripheram hanc fieri iubes. BRAS. En, primò accipiendi sunt depurati succi, qui erunt septem libræ, in quos prunæ imponuntur, quæ damascena sint, ut ebulliant, sintq; aliquibus in locis ad semen usque incisa: deinde facile bulliant ad succorum ferè consumptionis medietatem, postea sena addatur, quæ crasso modo contrita sit, deinceps agaricum addatur, & cuscuta, postea spica, rosæ, & uolæ. SE. Nulla est facta rosarum mentio in hac compositione. BRAS. Non quidem in tua, quam adduxisti, sed in antiquis codicibus ad sunt rosæ ad uolarum pondus, postea addatur epithimum,



thimum: nam modicissimam fert coctionem: denique myrobalani addantur enucleati, crassoq; modo contriti: posteaquam fuerint impositi, sinatur compositio parumper feruorem eleuare: deinceps ab igne remoueat: quoniam uel modicissimam, uel nullam ferunt myrobalani decoctione. SE. Nonne bis ingrediuntur myrobalani? BRAS. Minimè, quia illi, qui primo loco scripti sunt, uacant; & hi tantum accipiendi, qui secundo loco referuntur: idq; inconueniens est, quod retulisti, authorem scilicet tantum ebullire facere, quoad una sola libra supersit; sed ad miras duas libræ esse debent, si tamarindi, castia, manna, & zucarum uiolatù aptè dissoluenda sunt; immo nisi esset acetum, quod additur, relinqui deberet maior quantitas, quam sint due libræ. Mannam igitur accipito, tamarindos, & castiam in decoctione illa, uel in una decoctionis parte dissolue: postea in alia decoctionis parte imponatur zucarum taberzeth, & acetum iuni, & bulliant quo ad mellis spissitudinem acquirat: postea rhabarbarum, & reliqua, que sequuntur, imponantur. præter myrobalanos, qui iam sunt prius impositi in ebullitione illa parua, uel in infusione: postea omnia simul misceantur. SE. Iam confecta est compositio. BRAS. Confecta, ac perfecta quidem est. SE. Quomodo inungitur compositio ex oleo uiolaceo? BRAS. Nô est intelligendù, quòd compositio inungatur, sed quòd rhabarbarum, & ceteri pulueres sunt oleo uiolaceo delinendi, & postquam fuerint perfecta, in uitreatum uas ponatur, ac seruetur. SE. Non incesisti secundum ordinè Mesues. BRAS. Quia inordinatus est, & ut arbitror à librarijs est ordo peruersus: nempe

H iij cum

cum talia in compositionibus uidentur, homo componendi ordinem seruare dicitur, & quæ maiorem decoctionem ferunt, primò imponere, deinde quæ minorem, & ultimo loco, quæ minimam: quæ uerò nullam ferunt coctionem, infundenda sunt, & non ebullienda S E. Profectò magna confusio est, nisi ita fiat, ut à te prædictum est. BRAS. Ita igitur facito. S E. Sed non tam cito: nam in pixide adhuc adest huius compositionis portio, & rari admodum ea utuntur: immo ignoramus quibus competat affectibus, nisi tu aperueris. BRAS. Mesue inquit, conuenire febris acutis, & stomachi inflammationibus, ac hepatis: conuenit & arquatis, & obstructionem habentibus: uisum reparat, cum à biliosis fumis deperditus est: sitimq; sedat: adustionis morbos prohibet; & est magna medicina in æstate pestilenti, & autumnò: bilem educit, pituitam, & atram bilem. Nos in magnis æstibus eo usi sumus, cum fuit opus, calidos alicuius humores euacuare, quia non calefacit, neque corpus alterat ad calidum. S E. Quomodo præbes ægro huius generis medicamentum? BRAS. Præbeo in bolo, si annuerit æger: sin minus, in endiuæ aqua, uel solatri dissoluo, & propinandum præbeo. potest inter limentia numerari medicamenta, uentremq; mirum in modum lenit. S E. Quæ nam est ipsius dosis? BRAS. Mesue unciam præbet, nos ad decem usque drachmas absque incommodo exhibuimus. S E. Cum de Tripheris sermo fiat, huc accedet Triphera de epithimo.

## TRIPHERA DE EPITHIMO.

BRAS. Hæc in minori adhuc usu est, quàm Persica.



ca. rarissimi sunt Ferrariae pharmacopola, qui illa seruent: tamen à nonnullis conficitur, & à paucissimis quibusdam medicis indicitur: tu uero compositione refero, ut illam contemplerur. S E. En, ex his conficitur:

12. Myrobalanorū chebulorū,

Emblicorum,	} Singulorum partes æquales.
Indorum,	
Belliricorum,	

Epithimi partes duas,

Hieræ picæ partem semis:

Misce, & confice cum melle emblicorum, uel chebulorum. BRAS. De hac compositione loqui non est opus, cum in communi usu non sit: at despicienda minime est. S E. Ego illam paratam seruo, & tu eandem pro tuis ægris nonnunquam, me annotante, indicisti: tamen cuius sit authoris ignoro. BRAS. Est Mesues, qui illam refert in curatione mania, & melancholiae sanguineae. S E. Quæ nam est ipsius dosis? BRAS. Mesue præbet à duabus drachmis usque ad quatuor, & singulo die: si autem rarius præbeatur, ad unciam usque exhiberi potest. S E. Ad quos ualet affectus hæc triphera, quæ triphera non est, id est delicata, cum sit amara? BRAS. Mesue illam præbet inter euacuationem, & euacuationem, quando non administratur euacuatio: nam reuiuenscere facit, & gaudium generat. hæc Mesue. Atram bilem potissimum educit, sed leuiter illam cum alijs humoribus secundario educit: mania confert, & melancholiae sanguineae. S E. Est ergo multi nominis compositio? BRAS. Est profusus, & in atrabilioribus affectibus haud despicienda. S E. Quid est mel emblico

H iij rune

rum? BRAS. Est mel quodam ex emblicis myrobalanis confectum. SE. Quo nam modo conficitur, & quis est huius mellis author? BRAS. Legitur apud Rasim in 1x. ad Almanforè lib. in capite de melancholia, & hoc modo conficitur:

℞. Myrobalanorum chebulorum, nu. xx.

Emblicorum, nu. xxx.

Misce, & terantur, & in tribus aquae libris percoquantur, quo ad una supersit: postea colentur: deinde huic percolatae aquae mellis libram adjicito, quae ad aquae consumptionem ebulliat; & cum haec compositio chebulos etiam recipiat, si tibi animo sit ex solis emblicis conficere, ex ipsis quinquaginta accipito, & ut dictum est, conficito. SE. Hoc modo ex omni myrobalanorum genere mel conficere possum, & ex duobus simul generibus. BRAS. Immo, & ex omnibus. SE. Syrupus rosatus solutiuis in examen succedit.

SYRVPVS ROSATVS  
SOLVTIVVS.

BRAS. De hoc in Syruporum examine ubertim locuti sumus, ut superfluum uideatur nunc iterum absque utilitate repetere. SE. Cui & ipse uentrem soluat, non mirum si in aliorum ordinem accedebat. memoria autem habeo, & bilem & ichores educere, si, ut conuenit, confectus fuerit. sed in examen accedit Puluis Sanctus.

PVLVIS SANCTVS.

BRAS. Est recentiorum inuentum, & ipsum nomen



men illud ostendit: quoniam antiqui habebant quidem Hieras, & sacra medicamenta, non uerò sancta. at ex quibus illum paras? SE. Ex his:

13.	Folliculorum Senæ,	unc. i. s.
	Tartari albi,	drach. ii.
	Gingiberis,	drach. s.

Misce, & fiat Puluis.

BRAS. Cùm mihi ignotum sit unde appelletur Sanctus hic Puluis, tu habes ne aliquid ex quo nominis rationem expiscari possimus? SE. Nihil penitus habeo. BRAS. Fortè igitur ob actionem, quam facit, nomen sortitum est: nam absque molestia humores purgat: quippè integra drachma mirificè educit, neque drachma & semis excedenda est. Atram bilem educit, adustosq; humores, & secundariò pituitã. adest tamen Puluis alter, & ipse uocatus Sanctus, ex Elaterio, qui educit usque ad intestinorum ramenta: conficitur uerò ex elaterio, gingibere, & nitro, ex quibus Pilula etiã cõficitur, quæ Sancta nũcupatur: Sed audias quid contigerit Procurio Brassauolo patruomeo: Hic cùm uehementiore capitis dolore premeretur, medicum quendam cõsuluit, quid accepturus esset, quod in modica copia sumptũ, caput euacuaret: medicus illi dixit: Pilulã Sanctam deglutito: Tũc Procurius rei ignarus, pilulam Sanctam unius scrupuli ex elaterio domum attulit, quam summo mane deglutire tẽtauit, & minimè potuit: propterea iussit, ut sorbibile ouum coqueretur, in quod pilula imposita, ouum deglutiuit, & pilula in ore firmata est: iussit & aliud ouum sorbibile decoqui: secundoq; ouum deglutiuit, & non pilulam: & ut breui te expediam, tredecim oua absorpsit, & pilulã deglutire nunquã potuit.

tuit. non aderant amplius domi oua: arbitror si adfuisse, fuisse absorpturū ad trecenta, ipseq; ira concitus, pilulam in terram iecit, atq; dormiuit. S E. Iam pransus erat. B R A S. Et plusquam pransus ante auroram. S E. Excreuit'ne uel semel? B R A S. Plusquam sexagesies. S E. Si ergo pilulam deglutiuisset, ducēties excreuisset. B R A S. Arbitror elaterij um ouis inhxsisse, neque pilulam plus, uel minus eduxisse. S E. Ad Sanctum Puluerem redeamus: semper uidimus puluerem ante enarratum Sanctū Puluerem uocari, & non alium. B R A S. Et nos in aliquibus pharmacopolijs, pro Sancto Puluere elaterij puluerem præberi, & in alijs uocatum Præcipitatum, ex quo Sanctam Pilulam conficiebant: ita fortè per cat'exochen nominatam. S E. De Diaturbith, ergo uerba faciamus.

## DIATURBITH.

B R A S. Sunt in hac compositione diuersissimi pharmacopole: tamen pars maior illud Diaturbith cōficit, quod in capite de Turbith à Mesue refertur. Est uerò hoc, quod sequitur:

℞. Turbith,	partes x.
Gingiberis,	partes v.
Zuccari,	partes xx.

Misce, & fiat puluis. S E. Hoc est, quod filius Zēsar conficere edocuit. B R A S. Id est profectò, cui nonnunquam author addit mastiches drach. i i i. quandoque alia. S E. Hæc fortè causa est, cur aliqui pbarmacopole huic compositioni plura addunt, aliqui pauciora. B R A S. Immo & nonnulli cum rhabar=

baro



baro miscent. S E. Nonnullos uidimus, qui sequenti modo conficiebant:

℞. Sandalorum alborum,	}	Singulorū drach. i. s.
rubrorum,		
Violarum,	}	Singulorum drach. s.
Gingiberis,		
Anisorum,		
Cinnamomi,	}	Singulorum unc. i.
Mastiches,		
Turbith,		
Hermoadactylorum,		
Diagridij,		drach. iiii.
Zuccari albi,		lib. ii.

Misce, & fiat confectio solida,

BRAS. Huic cōpositioni, quam attulisti, quidā addūt rhabarbari electi drach. x. Itaq; medicamentū conficiunt nonnulli in forma electuarij; alij deducunt in morsellos; alij in rotulas, uel placentulas; tamen zuccari copia uariata: ueruntamen Diaturbith, uel medicamentum de Turbith, quod seruare debetis, illud est, quod superius adduximus ex Mesue in capite de Turbith, iuxta filij Zensaris sententiā; quamuis & eodē loco non minauerit diaphiniconē Diaturbith. S E. Ad quos ualet affectus Diaturbith ex Mesue acceptum? BRAS. Ad pituitosos affectus; egregieq; per aluum pituitam educit. S E. Quanta ex eo prebetur copia? BRAS. Drachma una est satis, uel ad summum drachma cum dimidia in iure epota, uel in catapotia, uel in morsellos, uel in trochleas cum zuccaro redacta; sed tunc opus est, ut maior copia accipiatur, quā drachma, immo tunc accipi potest ad quatuor drachmas, et usque ad sex.

S E.

SE. *Picra Galeni hiera succedit.*

HIERA PICRA GALENI.

BRAS. *Intelligis ne picram illam simplicem hieram, quae ex. VII. Methodi medendi accipitur? SE. Illam intelligo. BRAS. At de illa nihil prorsus agendum est, cum in pilularum exanima ubertim pertractata sit. SE. Ergo de diacolocynthidis hiera uerba faciamus.*

HIERA DIACOLOCYNTHIDIS.

BRAS. *Diuersae sunt huius diacolocynthidis hierae descriptiones: nam Mesue una parat ex russo compositione. SE. Non est in usu. BRAS. Immo et multi pharmacopola illam consueciunt, et praebent, quoties a medicis hiera diacolocynthidis indicitur? SE. Mesues compositionem afferto, ut illam contemplemur. BRAS. Haec est:*

StoeCADIS,	}	Singularum drach. x.	
Agarici,			
Chamedridis,			
Colocynthidis, drach. xx.		<i>in alio codice habetur, Trechi</i>	
Alandabal,		drach. xxv. <i>(scorū.)</i>	
Serapini,	}	Singularum drach. VIII.	
Oppopauacis,			
Petrofelini,	}	Singularum drach. v.	
Aristolochiae rotundae,			
Piperis,			
Castae,		drach. VII.	
Cinnamomi,	}		
Croci,			
			Spicae,



Spica,	} Singulorum drach.	
Myrrhæ,		} IIII.
Polij,		

Myrrham in uinum infunde: medicinas tere, & confice cum melle despumato. S E. Quas medicinas intelligit esse terendas? B R A S. Intellige omnia simplicia superius enarrata, quæ pharmaca nuncupari possunt: nam & herbæ omnes medicatæ ab Hippocrate, & à Galeno quandoque pharmaca nuncupantur, etiam si minimè educant. intelligit ergo omnia esse in puluerem redigenda, & ex melle compositio secundum artem conficienda. S E. Hanc compositionem haud seruo, sed illam potiùs Ruffi, à Nicolao descriptam: itaque multos uidimus hanc conficere, & seruare; quamuis audiuerim nonnullos Mesues compositionem conficere, & seruare. B R A S. Hanc tuam referto compositionem, quam præbes, cum à medicis hiera diacolocynthidis indicitur. S E. Hæc est, quam Nicolaus in suo Antidotario retulit:

Bz. Aloës,	unc. I.	
Hellebori albi, nigri,	— Singulorum unc. s.	
Diagridij,	} Singulorum	
Pulpæ colocynthidis,		drach. III.
Nitri,	} Singulorum drach.	
Euphorbij,		} II. gra. XV.
Polypodij,		
Salis hammoniæ,	} Singulorum drach.	
Piperis,		} I. s.
Chamedridis,		
Croci,		
Agarici,		

Masti

Mastiches,		
Epithimi,		
Cassia lignea,	}	Singulorum drach. II.
Xilobalsami,		
Oppopanacis,	}	Singulorum drach. II.
Git,		
Myrrha,		gra. xv.
Mellis, quod sufficit. Datur uesteri cū calida, in modum castaneæ. BRAS. Hæc est longe diuersa compositio ab illa Mesues: et si utra ex his duabus seruanda esset, Mesues compositionem potius seruandam iuberem: quam Serapio illam ferè sub nomine Dia colocynthidis describit. SE. Ni pigeat, Serapionis compositionem referto. BRAS. Haud piget, ita uero dicit, tractatu septimo:		
℞. Pulpæ colocynthidis		aur. xx.
Chamedridis,	}	Singulorū drach. x. <small>quidam ei. un. aur. XI.</small>
Agarici,		
Serapini,	}	Singulorū drach. VIII. <small>aliter labetur, aur. VIII.</small>
Oppopanacis,		
Petroselin,	}	Singulorum drach. v.
Aristolochiæ rotūda,		
Piperis albi,	}	Singulorū drach. IIII.
Cinnamomi,		
Spicæ,		
Croci,		
Myrrha,	}	Singulorū drach. IIII.
Polij,		

Misceantur omnia, & in puluerem redigantur, & cum melle despumato conficiatur. SE. Differt prorsus & in simplicibus, & in pondere, ab illa Mesues.

BRAS.



BRAS. Sequitur Serapio, Paulum Aeginetam addidisse castiæ lignæ, aur. VIIII. et stœcadis, aur. IIII. his additis, non multum differt à compositione adducta ex Mesue. SE. Nonne Auicenna in quinto canonone hieram quandam Ruffi describit? BRAS. Describit quidem, & ne illam desideres, est hæc, quæ sequitur:

℞. Pulpæ Colocynthidis,	aur. xx.
Chamedridis,	aur. x.
Serapini,	} Singulorum
Oppoponacis,	
Se. Apij montani,	aur. v.
Aristolochiæ rotundæ,	aur. v.
Piperis albi, nigri,	Singulorum aur. v.
Cinnamomi,	aur. IIIII.
Castiæ,	aur. VIIII.
Stœcadis,	} Singulorū aur. IIIII.
Croci,	
Polypodij,	
Polij,	
Myrrhæ,	

Infunde myrrham cum uino, & tere simplicia, & confice cum melle despumato. SE. Hæc est satis affinis compositioni Mesues. BRAS. In pondere solum differentia est, & in aliquibus simplicibus: tamen Auicenna post prædictam descriptionem aliam addit in pondere diuersam, quam ne chartas uertendo defatigeris, huc attulimus: est uero hæc, quæ sequitur:

℞. Pulpæ colocynthidis.	drach. xx.
Aloës,	drach. v.
Galangæ,	drach. x.

Chamedri-

Chamedridis,	drach. xz.
Serapini,	Singulorum drach.
Oppoponacis,	} VIII.
Aristolochiæ rotundæ,	
Petroselini,	} Singulorum drach. v.
Piperis albi, nigri,	
Spicæ,	
Cassia,	} Singulorū aur. ii.
Cinnamomi,	
Croci,	
Gingiberis,	
Myrrhæ,	
Polij,	

Auicenna in aliquibus descriptionibus præter ea, quæ adducta sunt, additum inuenit:

Chamepithidis,	} Singulorum drach. x.
Agarici,	
Prasij,	

Confice cum melle secundum artem.

SE. Inter hanc Auicennæ, & illam Mesues compositionem, non adest magna differentia. BRAS. Non, ut uidetur: immo antiqui authores, ut Paulus, & Aelius, compositiones quasdam huius hieræ adducunt, quæ ab illa Mesues non magnopere differunt. SE. Has audire cuperem, nempe in his authoribus plurimum fido. BRAS. Paulum audias lib. vii. cap. viii. ita dicentem:

Ægypti Terræ Colocynthidis,	drach. viii.
Trixaginis,	drach. x.
Sagapeni,	drach. viii.
Petroselini,	drach. v.

Aristolo=



Aristolochiæ rotūde, } Singulorum drach. V.

Piperis albi, } drach. IIII. uel

Cinnamomi, } drach. V III.

Cassie. i. canella, } drach. V III.

Spicæ, } Singulorum drach.

Croci, } IIII.

Polij, } IIII.

Myrrhæ, } IIII.

Mellis, quantum satis est.

SE. Nonnulla in hac compositione desunt, quæ in illa Mesues scripta sunt. BRAS. Desunt quidem nonnulla, sed eandem esse compositionem nemo ambigere debet. Aëtius uero ita hanc hieram refert libro tertio cap. 119.

℞. Pulpæ colocynthidis, drach. VIII.

Camepithidis, } Singulorum drach. x.

Chamedridis, } Singulorum drach. x.

Agarici, } Singulorum drach. v.

Marrubij, } Singulorum drach. v.

Sagapeni, } Singulorum drach. v.

Cassie, } drach. VIII.

Oppopanax, } drach. VIII.

Petroselini, } Singulorum drach. v.

Aristolochiæ rotūde, } Singulorum drach. v.

Piperis albi, } Singulorum drach. v.

Cinnamomi, } Singulorum drach. v.

Spicæ nardi, } Singulorum drach. IIII.

Croci, } Singulorum drach. IIII.

Myrrhæ, } Singulorum drach. IIII.

Polij, } Singulorum drach. IIII.

Assumito in melle.

I SE.

SE. Hæc Aëtij compositio amplior est, quam illa Pauli. librariorum gratia hoc contigisse arbitramur, qui modò unum simplex medicamentum, modò aliud dimittebant: nempe non dubitamus Ruffum compositionem fecisse, quæ ex eisdem semper constaret. adest & compositio quædam apud Nicolaum Alexandrinum, quam Hieram Diacolocynthidis uocat.

SE. Quæ nam est? BRAS. Hæc, quam educemus, in ipso auctore est, cap. 418.

℞. Interioris colocynthidis, drach. ii.

Hammoniæ, drach. i. s.

Agarici,

Scillæ assæ,

Diagridij,

Hellebori nigri,

Hyperici,

Epithimi,

Polypodij,

Praesij,

Bdellij,

Aloës,

Chamedridis,

Cassie,

Myrrhæ,

Piperis,

Cræci,

Oppopanacis,

Sagapeni,

Camphoræ,

Petroselini,

Aristolochiæ longæ,

Singulorum unc. i.

Singulorum unc. i.

Rotunde,



Rotunde,  
Amomi,

Mellis, quod sufficit. Tamen hæc Hiera ab Aë-  
tio libro tertio cap. 116. uocatur Hiera Logadij. SE.  
Has Hieras, obsecro, dimittamus, & contemplemur,  
num illa Mesues, an illa Nicolai consicienda sit, atque  
seruanda. BRAS. Necessarium est, & nonnihil de  
his Hieris te prius audire; nam quandoque suadeba-  
mus, ut conficeretur Hiera Pachij Antiochi, quam di-  
cit ualere ad uniuersa capitis uitia, quæ à Scribonio  
refertur sectione 106. & quæ:

Rz.	Stœcadis,	}	Singulorum P. x.
	Marrubij,		
	Chamædridis,		
	Agarici,		
	Colocymbidis,	}	Singulorum P. v.
	Oppoponacis,		
	Sagapeni,		
	Petroselini,		
	Terræ muli,	}	Singulorū pōdo IIII.
	Piperis albi,		
	Cinnami,		
	Nardi spicæ,		
	Myrrhæ,	}	
	Folij,		
	Croci,		

In unum omnia ponderata contundantur, & cribren-  
tur, præter oppoponaces, & sagapenum: hæc enim  
mortario teruntur, adiecto melle tenui, id est quàm li-  
quidissimo: deinde cæteris miscentur; quæ & ipsa tan-  
tùm mellis recipere debêt, quantum satis erit, ad com-

I ijprehendenda,

prehendenda, & continenda ea: reponitur medicamentum uasē uitreo. SE. Fecisti ne fieri hoc medicamentum? BRAS. Proorsus, & profecere, qui acceperunt. Pachius magnum quæstum fecit ex eo, & uocabat Hieram Diacolocynthidis. Scribonium lege de huius hieræ uiribus, à sectione 97. usque ad 106.

SE. Eadem uidetur cum Mesues compositio. BRAS. Modicè differunt: nam quod in Mesue legitur Polij, in Pachio habetur Folij; & quod in Mesue scriptum est castiæ, in Pachio legitur marrubij: non nihilq; in ponderibus differunt. an uerò hæc compositio fuerit incognita Ruffo, ignoramus; neminemq; hoc scire arbitramur: neque Galenus omnia antiquorum retulit medicamenta, neque etiam potuisset, si id exequi tentasset. SE. Cur non iubes, & nunc confici hunc Diacolocynthidis hieram? BRAS. Si hæc fiat compositio, est magnis dotibus insignita, & illa fortè est, quæ fieri debet: tamen pro Hieræ Diacolocynthidis, Galeni catapotia, quæ primo cap. primi libri, De compositione medicamentorum secundum locos describit, in usum deduximus: est uerò compositio hæc, quæ sequitur:

℞. Colocynthidis,	} Singulorum partes duas.
Alcēs,	
Scannoneæ,	} partem unam.
Succi absinthij,	
Mastiches,	} Singulorum partem semis.
Bdellij,	
Misce.	

Utq; Galenus refert, hoc modo Quintus utebatur: sed Galenus postea ab hac compositione mastichen, & bdellium



bdellium reiecit: at ob quam causam id fecerit, promittit se dicturum in sermone, quem in compositionis purgantium pharmacorum libros referuabat: ta-  
men non constat Galenum hos unquam perfecisse li-  
bros. S E. Pro Hiera igitur Diacolocynthidis, aut  
hanc conficiam à te nunc ex Galeno acceptam, aut  
illam Mesues. B R A S. Inmo potius illam Pachij,  
quæ apud Scribonium legitur: nam hæc, quam addu-  
xi, nõ est Hiera Diacolocynthidis, quam Galenus præ-  
buit adolescenti, de quo mentionem facit; sed erant pi-  
lulæ, quas uocat de Aloë; quarum undecim illi tribuit  
ad ciceris magnitudinem ante Hieram. S E. Ad  
quos ualet affectus Hiera ista Pachij, uel Mesues?  
B R A S. Scribonium lege, ne tam magnam asse-  
ctuum sylvam referre cogamur: ad omnes affectus sin-  
pliciter conuenit, at pituitam potissimum educit, &  
humores crassos, glutinososq;: educit præterea atram  
bilem, manie confert, melancholia, epilepsia, torturæ,  
paralyssi; status discutit, coctionem procurat, uentricu-  
lum à pituita, fluxuq; liberat; fistulis conuenit, mali-  
moris ulceribus, cancroq; lepræ, & alijs penè infini-  
tis affectibus. S E. Ad quam copiam præberi de-  
bet? B R A S. Quatuor drachmæ sunt extrema do-  
sis, tres dimidia, duæ minima: ad ampliorem uerò do-  
sinam Scribonium legito, à sectione 97. usque ad  
106. nempe monet quomodo secundum diuersos af-  
fectus accipi debeat, & quæ sint illi miscenda: quo-  
niam aliqui affectus nonnulla expetunt, quæ in alijs  
non conuenirent: tu uerò ad alia te conferas. S E.  
Sequitur Hiera Logodion.

I iij. HIERA

## HIERA LOGADII.

BRAS. De hac Hiera in pilularum examine ubertim scriptum reliquimus: excidit'ne memoria? SE. Nunc memoriæ subijt, idq; in mentem uenit, uocandam esse Hieram Logadij, non autem Logodion.

BRAS. Aliam igitur adducito compositionem. SE. Hiera picra Nicolai succedit.

## HIERA PICRA NICOLAI.

BRAS. Est'ne illa, quæ ex sexdecim rebus constat? SE. Illa inquam est. BRAS. Maximus est illius usus in clysterijs: & quamuis de sexdecim rebus uocetur, tamen sunt decem & octo: intellige uerò præter aloën, & mel, esse sexdecim res. at tu compositionem ex Nicolao adducito. SE. En, illam refero:

℞. Cinnamomi,

Spicæ,

Croci,

Schœni,

Affari,

Xilobalsami,

Xilocastiæ,

Carpobalsami,

Violarum,

Absinthij,

Epithimi,

Agarici,

Ros.

Turbith,

Colocynthidibz,

Mastiches,

Singulorum scrup. ii.

Alcës



Aloës ad pondus omnium.

Mel, quod sufficit.

BRAS. Quomodo uos pharmacopole compositionem hanc conficitis? SE. Omnia in puluerem redigimus: postea huius pulueris uncias duas accipimus, & cum despumati mellis libra commiscemus, & magna Galeni Hieræ nuncupatur. BRAS. Tamen Galenus de hac hiera nusquam mentionem fecit, neque de simili compositione. adsunt nonnulli pharmacopole, qui Hieræ simplicis Galeni puluerem accipiunt, & ex melle electuarium conficiunt, quod præbent quoties à medicis pro clismatibus Hieræ Picra indicitur. SE. Hoc nunquam audiui. BRAS. Ego autem uidi, sed error non est, cum res sit, quæ facile educit: uerum potius laudo, ut hæc Hieræ uocata Magna, uel composita accipiatur; quia cum à medicis pro clysterijs indicitur, cupiunt magis educere, quam Hieræ simplex educere possit. SE. Quanta præberi potest huius Hieræ copia? BRAS. In clysterijs à semiuncia usque ad duas uncias: in potu drachma præbetur integra: nam & per os præberi potest. SE. Quibus opitulatur affectibus? BRAS. Diuersis captis affectionibus, urium, & oculorum à materia pituitosa frigida crassa, crassos humores educit, uentriculum egregie purgat: hepatis obstructions, & lienis durities remouet; renibus, & uesicæ proficit; & uteri distemperantiam emendat. SE. Est ergo admiranda compositio. BRAS. Si hæc fecerit, quæ à Nicolao referuntur. Mihiq; potius arridet, ut tres pulueris uncie pro singula mellis libra accipiantur. SE. Vehementior esset.

I iiij BRAS.

BRAS. Et id expetitur, cum raro præter quam  
per annum accipiat. at reliqua prosequaris.

SE. Iusti Hieræ consequitur, quam semel paravi,  
sed nunquam uendere potui.

## HIERA IVSTI.

BRAS. Raro in usu est, quamuis à nonnullis pare-  
tur pharmacopolis, & illam ego nonnunquam præ-  
buerim: tamen, & de illa nonnihil agamus. composi-  
tionem referto, ut illam parasti. SE. Hæc est com-  
positio, quam paravi:

12. Epithimi,	drach. xxxii.
Marrubij,	} Singulorum drach. xvi.
Stœcadis,	
Chamedridis,	
Hellebori nigri,	
Scammonæ,	
Agarici,	
Piperis longi,	
Albi,	
Nigri,	
Scillæ assatæ,	
Pulpæ colocynthidis,	} Singulorū drach. viii.
Euphorbij,	
Aloës,	
Croci,	
Gentianæ,	
Petroselini,	
Samoniaci, Thimiamatis,	
Sagapeni,	Oppopa=



Oppopanacis,  
 Polij,  
 Cinnamomi,  
 Castiæ,  
 Myrrhæ,  
 Spicæ Nardi,  
 Floris iunci odorati,  
 Pulegij,  
 Aristolochiæ longæ,  
 Rotundæ, } Singulorum drach. ii.  
 Mellis despumati, quod sufficit.

BRAS. Quid accepisti pro castia in hac compositione? SE. Castiam ipsam, quæ educit. BRAS. Castia est uocata canella, et cum cinnamomo careatis, pro castia, & cinnamomo duodecim canellæ drachmæ, quæ est antiquorum castia, accipiantur; & à Galeno monemur, cum cinnamomum defuerit, eius loco duplum castiæ accipiendum esse. SE. Quæ nam est huius Hieræ dosis? BRAS. Aëtius inquit exhibitionem integram esse drachmas quatuor, cum meli=crato, & in minutissimo sale, quantum est paruum co=clear. hæc compositio, quam attulisti ab Aëtio refer=tur libro III. cap. CXX. SE. Adsumt ne & aliæ huius generis compositiones? nos hanc parauimus, quam in paruo libello scriptam habemus. BRAS. Eandem compositionem refert Paulus, sed in epithi=mi pondere differt, quia duodecim solum recipit epi=thimi drachmas, neque castiam addit Paulus: at Ni=colaus Alexandrinus cap. 420. hanc Iusti Hieram describit absque epithimo, & in ponderibus eua=riat, multaq; præterit simplicia. SE. Quo nam modo?

modo? BRAS. Audias Alexandrini compositionē,  
 & id oculatē percipies:

℞. Stœcadis,	drach. xxx.
Colocynthis,	} Singulorum drach.
Camedridis,	
Scammoneæ,	xxv.
Piperis nigri,	drach. xv i.
Albi,	} Singulorum drach. x.
Longi,	
Hellebori nigri,	} Singulorū drach. viii.
Hammoniæ,	
Croci,	
Aloës,	} Singulorū drach. iiii.
Absinthij pontici,	
Myrrhæ,	} Singulorū drach. iiii.
Euphorbij,	
Libani,	
Mellis, quod sufficit.	
Dosis eius drach. iiii. cum tepida.	

SE. Epithimi loco Stœcadem ponit: sed quam compositionem parabo, si contingat me illam uendere, quæ nunc in pixide continetur? BRAS. Illam, quam prius paraueras. SE. Quibus conuenit affectibus? BRAS. His omnibus, ad quos Hiera Russi conuenit, de qua superius mentio facta est: sed quæ composito sequitur hanc Hieram? SE. Nulla extat amplius in mea scheda. BRAS. Tam paucas seruatis catharticonum compositiones, quæ pilule non sunt? SE. Non plures seruamus, neque alibi seruari audiuius: immo & tempus instabat, quo donum profecturus eram, cras uerò (ni tibi graue sit) hac eadem



dem hora huc accedito, ut Trochiscos una contem-  
 plum, qui in usu publico seruantur. BRAS. Non so-  
 lum mihi graue non est, sed maximè iucundum, tibi,  
 quem uti patrem amo, ac diligo, rem gratam facere.  
 cras statuta hora huc me conferam. SE. Interim  
 bene uale.

FINIS.

139	Index
138	Confessio
137	Confessio
136	Confessio
135	Confessio
134	Confessio
133	Confessio
132	Confessio
131	Confessio
130	Confessio
129	Confessio
128	Confessio
127	Confessio
126	Confessio
125	Confessio
124	Confessio
123	Confessio
122	Confessio
121	Confessio
120	Confessio
119	Confessio
118	Confessio
117	Confessio
116	Confessio
115	Confessio
114	Confessio
113	Confessio
112	Confessio
111	Confessio
110	Confessio
109	Confessio
108	Confessio
107	Confessio
106	Confessio
105	Confessio
104	Confessio
103	Confessio
102	Confessio
101	Confessio
100	Confessio
99	Confessio
98	Confessio
97	Confessio
96	Confessio
95	Confessio
94	Confessio
93	Confessio
92	Confessio
91	Confessio
90	Confessio
89	Confessio
88	Confessio
87	Confessio
86	Confessio
85	Confessio
84	Confessio
83	Confessio
82	Confessio
81	Confessio
80	Confessio
79	Confessio
78	Confessio
77	Confessio
76	Confessio
75	Confessio
74	Confessio
73	Confessio
72	Confessio
71	Confessio
70	Confessio
69	Confessio
68	Confessio
67	Confessio
66	Confessio
65	Confessio
64	Confessio
63	Confessio
62	Confessio
61	Confessio
60	Confessio
59	Confessio
58	Confessio
57	Confessio
56	Confessio
55	Confessio
54	Confessio
53	Confessio
52	Confessio
51	Confessio
50	Confessio
49	Confessio
48	Confessio
47	Confessio
46	Confessio
45	Confessio
44	Confessio
43	Confessio
42	Confessio
41	Confessio
40	Confessio
39	Confessio
38	Confessio
37	Confessio
36	Confessio
35	Confessio
34	Confessio
33	Confessio
32	Confessio
31	Confessio
30	Confessio
29	Confessio
28	Confessio
27	Confessio
26	Confessio
25	Confessio
24	Confessio
23	Confessio
22	Confessio
21	Confessio
20	Confessio
19	Confessio
18	Confessio
17	Confessio
16	Confessio
15	Confessio
14	Confessio
13	Confessio
12	Confessio
11	Confessio
10	Confessio
9	Confessio
8	Confessio
7	Confessio
6	Confessio
5	Confessio
4	Confessio
3	Confessio
2	Confessio
1	Confessio

FINIS.

INDEX

INDEX ELECTVARIORVM,  
Puluerum, & Confectionum.

Diaphœnicon, seu electuarium de dactylis.	41
Diacatholicon.	58
Eleſcoph.	65
Confectio Braſſaulica.	68
Confectio Hamech.	69
Electuarium de Pſyllio.	75
Electuarium de ſucco roſarum.	83
Electuarium roſatum.	86
Electuarium Indum Maius.	88
Electuarium Indum Minus.	93
Electuarium de Benedicla.	94
Diacarthamum.	97
Diaprunis ſolutium.	100
Electuarium de Sebeſten.	104
Diaſena.	105
Infuſio Senæ.	111
Puluis Senæ.	111
Tripſera Perſica.	113
Tripſera de Epithimo.	118
Syrupus roſatus ſolutiuus.	120
Puluis Sanctus.	120
Diaturbith.	122
Hiera Picra Galeni.	124
Hiera Diacolocynthidis.	124
Hiera Logodij.	134
Hiera Picra Nicolai.	134
Hiera Iuſſi.	136


FINIS.
























108. -

